



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Caput Secundum. Homines, & quæ circa eos tùm in genere, tùm circa  
varias eorum ætates, sexus qualitates, status, conditiones, professiones,  
&c. mentem in Deum elevare, & salubria ingerere documenta ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Apoc. 1. Sicut fuit Jonas in ventre ceti 3. diebus & 3. noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ 3. diebus & 3. noctibus. Matth. 12. In corde, h. e. interioribus terræ, secundum corpus in sepulchro, secundum animam in limbo 3. diebus non integris, sed primi diei ultimâ parte, & tertii primâ, cum toto secundo intermedio. Credo videre bona Domini in terra viventium. Pl. 73. Rorate cali de super, & nubes pluant justum. Aperiatnr terra, & germinet Salvatorem. Il. 45. Deus Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Pl. 73. In globo vel mappa geographica apparet circiter in medio terræ esse Jerusalem, ubi Christus nos redemit.

## CAPUT SECUNDUM.

Homines, & quæ circa eos tum in genere, tum circa varias eorum aetates, sexus, qualitates, status, conditiones, professiones, &c. mentem in Deum elevare, & salubria ingerere documenta possunt.

### §. 16

De hominè in genere, ejus creatione, redemptione.

**F**aciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1. Unam ei scilicet naturam cum tribus potentiis memoriâ, intellectu &

88 *Pars secunda de elevatione*  
& voluntate indendo. *Quid est homo, quod meo*  
*mor es ejus aut filius hominis? quoniam visitas*  
*eum, minorasti eum paulò minùs ab Angelis, glo-*  
*ria & honore coronasti eum, & constituisti eum*  
*super opera manuum tuarum. Pl. 8. Quòd ho-*  
*mo quoad animam ad imaginem Dei cum An-*  
*gelis conditus, quoad corpus similis sit bestiis,*  
*per hoc paulò minùs ab Angelis minoratus est.*  
*Quòd autem verbum divinum humanæ naturæ*  
*junctum homines redemerit, & Angelis pec-*  
*cantibus pro æternitate tota cælum occlusum*  
*maneat. Per hoc elevata est natura humana*  
*præ Angelica, & quàm pauci in praxi ostendunt*  
*humani generis ità exaltati excellentiam se ag-*  
*noscere? dum & proximos maximè inferioris*  
*se conditionis [ qui tamen æquè benè pretioso*  
*Christi sanguine redempti sunt, & ipsis quoad*  
*gratiam coram Deo in hoc mundo sæpè superio-*  
*res sunt; & quoad gloriam in æternum super-*  
*iores erunt ] præ fastu fastidiunt; & canes ma-*  
*gis honorant quàm homines, seque ipsos per*  
*voluptates bestiis communes, aut etiam dete-*  
*riores inhonorant. Verè homo, cum in honore*  
*esset, non intellexit. Comparatus est jumentis in-*  
*sipientibus, & similis factus est illis. Pl. 48. Imò*  
*deterior, multi superbiunt ceris majorum. Eth-*  
*nici varii volebant à Diis & Deabus profapiam*  
*suam deducere. Christiani varii nobiles fu-*  
*cum conantur facere; quòd ab antiquis Ro-*  
*manis, Scipionibus, Brutis, Fabiis, & nescio*  
*quibus deicendant. Vanitas vanitatum hono-*  
*rem debitum exhibeo pervetustæ stirpi, maximè*  
*si*

si pios majores & patriæ defensores numeret. Factum tuum, si virtutem & animos majoribus tuis similes non habeas, exhibilo, ratione corporis es bestiis simile animal. Parentes tui ad hoc efformandum, & fortè non Pater, qui tuus esse dicitur, sed subuleus communicarunt teste S. Bern. sperma foetidum. Quòd ratione animæ sis animal rationale, per hoc vetustissimam stirpem à Deo habes. Qui sicut Gen. 1. creavit animam Adæ ex nihilo sui & subjecti, ita & tuam. Dignos ergo & generosos indue spiritus, quòd quoad animam à Deo immediatè veniens genus Dei teste Apostolo & ejus imago sis, & quòd, cùm hæc per peccatum Adæ deformata sit, per Baptismi lavacrum mediantibus meritis & sanguine JESU Christi pristino denuò nitori restituta sit; quodque hunc in finem *verbum caro factum sit. Fortitudo Christi te creavit, infirmitas Christi te recreavit, fortitudo Christi fecit; ut, quòd non erat, esset, infirmitas Christi fecit, ut, quòd erat, non periret.* Aug. Tr. 15. in Joann.

### Sublectio secunda.

*De variis circa hominem controversiis.*

*Primò.*

*De libertate hominis ad bonum & ad malum à Deo non necessitati.*

**S**I Deus ad bonum necessitat, cur Eccl. 31. laudatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala & non fecit. Si præscientia Dei cogit ad peccatum, quomodo Ol. 3. dicitur: *Perditio*

90 Pars secunda de elevatione  
ditio tua ex te Israel? si Deus indurando cor impi-  
pii tollit libertatem, quomodo Ps. 7. dicitur:  
*Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Quo-  
modo Eccl. 25. *Nemini mandavit impiè agere.*  
Quomodo Jacob 1. dicitur: *Nemo, cum tenta-*  
*tur, dicat, quoniam à Deo tentatur* [ sive quod  
Deus cogitationes turpes passionesque exorbi-  
tantes, aliasque tentationes immittat, ut ho-  
mo peccet ] hæc enim permittens *ipse neminem*  
*tentat ad peccatum.* Quando autem Gen. 22.  
dicitur Deus tentasse Abraham, satis ex contex-  
tu patet, quod hæc Dei tentatio teste Aug. non  
fuerit tentatio seductionis ad peccatum, sed  
probationis ad majus meritum ac coronam,  
quando ei mandavit immolationem filii sui uni-  
geniti Isaac. Porro verba, quibus Deus dicitur  
indurasse cor Pharaonis, intelligenda sunt,  
quod indurationem ejus & occæcationem per-  
miserit, nec semper emolliat aut tenerum red-  
dat cor impii juxta illud Ps. 80. *Dimisi eos se-*  
*cundum desideria cordis eorum, ibunt in adin-*  
*ventionibus suis.* Cæterum idem Propheta Ps.  
94. ostendit hanc cordis obdurationem non  
ex parte Dei, sed peccatoris procedere per hæc  
verba: *Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite ob-*  
*turare corda vestra.* Hoc verbum, quod Deus  
permissivè se habeat, explodit Calvinus, & ta-  
men sæpè in S. Script. ponitur, v. g. Judith. 13.  
dicitur: *Non permisit me Dominus ancillam suam*  
*coinquari.* Et Tob. 2. *Hanc autem tentationem*  
*ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris da-*  
*retur exemplum patientie ejus.* Quæ verba ex  
Bibl.

Bibl. Genevensibus expuncta sunt. Sic mutant, extinguunt verba Script. Hæretici; ut inter cætera etiam loco ejus, *non ego, sed gratia Dei mecum*; loco *mecum* ponunt *in me*, sed quale adducunt Dei testimonium, hæc ipsis licere? Dæmones Calvino acutiores fuerunt. Dum Luc. 8. rogârunt Christum, ut eo *permittente* possent intrare intrare in porcos, & quod Deus occatos & induratos Judæos ipse à parte sua non indurârit, clarè protestatur Christus Matt. 23. ad eos dicens: *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Idem innuitur Os. 13. *Perditio tua Israel ex tua scilicet malitia, nam tantummodo in me auxilium tuum.* Sic etiam bonos ad benè operandum divina gratia non necessitat, aliàs Act. 7. malè reprehendisset Stephanus Judæos. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis,* Et malè diceret Paulus 1. Cor. 7. *Quis statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens sua voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare virginem suam benè facit.* Item 1. Cor. 3. *DEI sumus coadjutores,* cooperando scilicet liberè divinæ gratiæ juxta illud: *Non ego, sed gratia DEI mecum,* concurrentu simultaneo, & quare dicit Deus Is. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis, quòd, si nolueritis, & ad iracundiam me provocaveritis, gladius devorabit vos.* Quare Matth. 19. dicit Christus? *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* & quare tot dedit præcepta? & ad benè agendum præmiis animavit, & ad cavendum

vendum malum poenis exterruit? si libertas non  
 est. An ergo aërem vanissimo fumo implevit?  
 an lapidibus locutus est? & quare Hæretici  
 (qui, dum armis & potentiâ prævalent, con-  
 tinuò Catholicos, ut in Gallia Germania pro-  
 dolor experti sumus, opprimunt) sub jugum  
 Catholici Principis missi continuò inclamant:  
*Liberte de conscience?* si libertas non est cre-  
 dendi & agendi, Rectè August. Ep. ad Valenti-  
 num dicit: *Si non est liberum arbitrium, quomodo  
 iudicabit Christus mundum? hominem qui spoliatur  
 libertate, eum similem faciunt animantibus abs-  
 que peccato, absque inferno, absque paradiso.*  
 Et quid clariùs quàm verba Eccl. l. c. 15. à v. 11.  
 usque ad 22. *Non dixeris, per Deum abest, scilicet  
 à me sapientia cælestis seu timor Dei. Quia  
 enim odit Deus, ne feceris, sed fac, quæ illi pla-  
 cent. Non dicas, ille me implanavit, id est, er-  
 rare, peccare fecit. Gracè habetur, ne dicas  
 Deus me plasmavit, seu formavit impium & er-  
 raticum. Non enim necessarii sunt ei homines  
 impii, quia sine illis potest aliâ prorsus viâ per-  
 fectiones suas toti universo abundè manifestare,  
 Quin potius omne execrumentum erroris odit  
 Dominus, id est, omnem errorem execrabi-  
 lem, gracè omnem abominationem, id est, om-  
 ne peccatum. Deus ab initio constituit hominem,  
 id est, creavit, plasnavit fateor, sed liberum  
 ab omni peccato, ornatum gratiâ, nec aliud op-  
 rabat, quàm ut perpetuò maneret in isto felici  
 statu tam ipse, quàm omnes posteri ejus. No-  
 nuit tamen ad id cogere, & violentè eum ne-  
 cessi-*

cessitare, qui ex natura sua liber erat. Sed reliquit illum in manu consilii sui, sive potestate agendi quidquid vellet, tantum ut ostenderet se Dominum illius esse, & fidem hominis exploraret, adjecit mandata & præcepta sua, puta legis naturalis, & quædam legis positivæ, v. g. de non comedendo tali pomo, &c. & hoc ad maximum hominis, si vellet, bonum ac commodum. *Nam si volueris mandata servare, uti potes & jure debes, & in perpetuum fidem placitam facere, id est, fidelitatem in servandis mandatis gratam mihi exhibere, conservabunt te in hoc felici statu posterisque tuos. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam, ante hominem vita & mors bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* An posset certius & clarius per tam longum contextum, & ex professo aut magis graphicè depingi liberum adversus Hæreticos arbitrium, non tantum primi hominis ante lapsum, sed & ipsius post lapsum & omnium suorum posterorum, quia à v. 17. *apposuit tibi, &c.* generalis est de omni homine sermo usque ad v. 21. & 22. ubi dicitur: *Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi,* hoc est, ut in græco habetur, *licentiam peccandi.* Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & invidium. Quin potius addidit ingentes minas & pœnas peccare volentibus, ut sic magis omnes à peccando absterret, ut supra dictum est.

2do.

*De Prædestinatione, Reprobatione hominum.*

PRædestinarianam Hæresin Anno Christi 847. instauravit Gotheschalcus natione Saxo (sicut & Lutherus) Monasterii Orbacensis Parœciæ Sueffonicæ Monachus. Multam is dederat operam legendis SS. PP. libris, maximè Augustini: cujus sententias teste Hincmaro memoria proferre solitus erat. Hinc ei præcedentiam, si non quoad majores errores, saltem quoad tempus deferre debet Jansenius, & in hoc ambo conveniunt, quod nil nisi Augustinum crepent. Porro placita Gotheschalci erant hæc: Unumquemque prædestinationis necessitate aut puniri aut coronari, pro impiis & peccatoribus filium Dei nec corpus assumpsisse, nec orationem multò minùs sanguinem fuisse, nec pro illis ullo modo crucifixum fuisse, quippe quos malos fore præscivit, & justissimè in æterna præcipitandos tormenta prædefinivit. Si autem pro solis prædestinatis mortuus est Christus, & inde consequi volunt Gotheschalci fautores, Ecclesiam Dei tantùm ex prædestinatis constare. Hos similesque errores sibi adoptavit Calvinus prædestinationem & reprobationem hominis soli adscribens divinæ voluntati. Eisdem postea in Jansenii libro quoad rem ipsam recoctos damnavêre Summi Pontifices. Gotheschalcus à Synodo Moguntina & Carisi-

aca

aca condemnatus fuit tanquam Hæreticus & incorrigibilis, suspensus dein à Sacerdotalibus functionibus, & in præsentia Episcoporum secundùm Agathenses Canones & regulam S. Benedicti ut improbus virgis cæsus est, libroque assertionum suarum igni tradito ipse in ergastulum retrusus est, ne aliis noceret. V. Mesnil l. 47. de Doct. & disciplina Ecclesiæ à pag. 714. utinam omnibus, qui veteres Hæreses requunt, idem obtingeret fatum, ne aliis posterum nocere possent. Interim Gotheschalci errores subin varios imbuerunt, sed non in tam apertum prodire campum ac novissimis sectariorum nostrorum temporibus. Certè Jansenistæ, ut erroribus suis non tantùm inficerentur viri semidocti, sed & sexus muliebris quò ingeniosior eò sæpè capiosior. Hoc invenerunt profecta sua propaganda remedium, ut Theologicas de gratia ac libertate subtilitates vernacula & compta phrasi Gallica exponerent, & inter cætera per viam istam eò res deduxêre suas, ut usque adeo cujusdam monasterii Moniales cum Abbatisa sua in galliis fuerint ausæ à summo Pontifice ejusque bulla *Unigenitus* appellare ad generale Concilium, eò quòd Bulla hæc [ jam NB. ab Episcopis totius Europæ Catholicæ paucis in Gallia exceptis acceptata ] pugnet contra contenta in illarum Catechismo. *Voilà la Théologie tombee aux quenouilles.* Sed missis his ex Rabano docto illo ac sancto Archi-Episcopo Moguntino Anno Christi 856. mortuo, qui Gotheschalco sui temporis Hæretico egregiè resti-

restitit, & ex ipsis Scripturæ verbis errores hos omnes veteres, & de novo recoctos profligo. Rabanus interpellatus, ut Goteschalcum refutaret, id præstitit per modum Epistolæ ad Nottingum datæ. *In cuius prima parte multis S. Scripturæ testimoniis probat, quòd licet Deus peccatum præciat, ad illud tamen non prædestinet, nec sit causa perditionis, siquidem peccatores hortatur, ut malè agere desistant, minus à peccando deterret, propositis præmiis ad mandatorum observationem invitatur. Imo testatur Ezech. 33. Nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat. Tunc autem sibi contradiceret, si quos sic à malo revocat ac deterret, ad peccandum prædestinaret. In 2da Epist. parte ex D. Prospero Script. & ratione probat Deum velle sincerè salutem omnium hominum, ac proinde nullum ad mortem æternam prædestinare, nec contrarium probari ex Ep. S. Joannis 1. c. 2. v. 19. ubi habentur sequentia: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis, sed vos unctionem habetis à sancto. Quia qui non permanserunt quoad fidem & mores in doctrina à S. Joanne & aliis Apostolis tradita, voluntate exierunt, voluntate ceciderunt, & quia præciti sunt casuri, non sunt prædestinati, essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate ac veritate mansuri. Quomodo jam unctio Spiritus S. per entitatem gratiæ suæ sive ab intrinseco sive extrinseco efficaci intelligenda sit,*

fit, non est hujus loci investigare, ubi tantum contra Hæreticos agitur, & omnes Catholici Doctores consentiunt veram in homine & ad bonum & ad malum dari libertatem juxta illud D. Thom. 1. p. q. 62. a. 3. ad 2dum *Omnis forma inclinatur suum subjectum secundum modum naturæ ejus. Modus autem naturalis intellectualis natura est, ut liberè feratur in ea, quæ vult, & ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest eam non uti & peccare.* Et hinc idem Angelicus Doctor exinde infert etiam Angelum, si habuisset gratiam primo instante suæ creationis, potuisse eam non utendo se ipsam à Deo avertere, adeoque non sequi, quod Angelorum in tartara detrusorum reprobatio soli divinæ sit adscribenda voluntati. Jam quod omnium hominum salutem sincerè velit Deus & Christus hunc in finem pro omnibus mortuus sit; pariter quoque colligitur ex seqq. Script. verbis, dicitur enim Joan. 1. Ep. c. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* [quod intellige de iis, ad quos scripta est Epistola] *non pro nostris autem solum, sed etiam NB. pro totius mundi.* Et 2. Cor. 5. v. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. Tim. 2. *Qui dedit redemptionem se ipsum pro omnibus.* Et ibid. *Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et 2. Pet. 3. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos nolens aliquos NB. perire, sed NB. omnes ad pœnitentiam reverti.* Et quia hoc in illorum potestate est, dicitur 2. Pet. 1.

E

Qua-

*Quapropter fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Si ergo ego satagendo & gratiæ divinæ cooperando certam meam electionem facere possim, à sola Dei voluntate non potest venire reprobatio mea. Hoc jam stante & veritate alterâ jam probatâ, quòd scilicet Christus sit mortuus pro omnibus.*

Patet quoque Ecclesiam Christi militantem non constare ex solis prædestinatis. Falsitas quoque ejus patet ex seqq. ex Script. nam Matth. 3. comparatur regnum Dei in hoc mundo, hoc est Ecclesia aræ, in qua promiscuè reperitur palea & triticum, Matth. 13. Retibus piscatorum, quibus boni & mali pisces inclusi capiuntur. Matth. 22. Convivio Regis, ubi reperiebantur vestem nuptialem habentes & non habentes. Matth. 25. Virginibus, quarum quinque erant sapientes & quinque fatuæ. Item 2. Timoth. 2. Magnæ domui, in qua vasa aurea, argentea, lignea & testacea.

3<sup>tiò.</sup>

*De mandatis homini à Deo datis & servatu  
possibilibus.*

**S**I ea cum uxore tua servare non potes Mimi-  
stello, ergo ambo estis adulteri, scortatores,  
fures, latrones, & malè Principes ac Magistra-  
tus vestri ejusmodi homines puniunt, cum non  
ex illorum propria malitia, ad quam requiritur  
libertas, sed ex Dei sic prædestinantis voluntate  
hæc

hæc omnia mala perpetrentur. Jam ad Scri-  
pturam. Matth. 11. dicit Christus: *Jugum  
meum suave est, & onus meum leve.* Ergo po-  
test servari & portari. Luc. 1. De Zacharia &  
Elisabeth dicitur ambos fuisse justos, & ambu-  
lâsse NB. *in omnibus mandatis & justificationi-  
bus Domini sine querela.* Ergo cùm bona sit ar-  
gumentatio ab actu ad potentiam, præcepta  
Dei servari possunt. Item 1. Ep. Joan. c. 5. v.  
3. dicitur: *Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus  
custodiamus, & mandata ejus NB. gravia non  
sunt.* Ergo multò minùs servatu impossibilia  
adjuvante scilicet Dei gratia, quæ omnibus  
præsto est. Hinc Hebr. 12. monet Paulus, ut  
studeamus, *ne quis desit gratia Dei.* Et 1. Joan.  
2. v. 4. monet Apostolus, quòd, *qui dicit se nosse  
Deum, & mandata ejus non custodit, mendax  
est.* Demum Joan. 14. apertè asserit Christus:  
*Si diligitis me, mandata mea servate.* Hinc ju-  
re Hieron. in Expl. symboli ad Damasum Pa-  
pam execratur blasphemiam eorum, qui dicunt,  
impossibile aliquid à Deo homini præceptum  
esse, vel etiam mandata ejus non à singulis, sed  
ab omnibus in communi, ut unus hoc, alter  
aliud servet, servari posse. Inde quoque col-  
ligis nil novi circa hanc imposturam attulisse  
sectarios nostri temporis, sed ea jam dudum as-  
serta & condemnata fuisse, & quomodo dicere  
potest David Pl. 118. *Omnia mandata tua equi-  
tas.* Si vel omnia vel unum ex illis servare non  
possumus, & tamen ob ea non servata excludi-  
mur cælo, & præcipitamus in infernum. Om-

100 *Pars secunda de elevatione*  
nindè sanè contrarium protestatur nobis Deus  
promittens gratiam & vires ad ea servanda  
Ezech. 36. *Spiritum meum donam in medio ve-*  
*stri, & faciam, ut in preceptis meis ambuletis,*  
*& iudicia mea custodiatis, & operemini. Qui ser-*  
*vat verbum eius [ mandata ] dicit Ep. 1. Joann-*  
*nes c. 2. verè in hoc caritas Dei perfecta est, scilicet*  
*in suo genere, & ità ut in caritate ista ma-*  
*gis semper possit proficere juxta illud Pauli ad*  
*Philipp. 3. Non, quod jam perfectus sim ( in ista*  
*caritate ) sequor autem [ conor ulterius profic-*  
*ere ] si quo modo comprehendam. Interim ma-*  
*net semper differentia inter viatorem & com-*  
*prehensorem.*

419.

*De operibus hominis malis bonis, liberis non libe-*  
*ris, ut sunt motus concupiscentia, quibus*  
*non præbetur consensus.*

**C**alvinus dicit omnia opera nostra peccata  
esse, sed patet id falsum esse ex textibus  
Script. jam citatis, vi quorum nobis Deus præ-  
cipit bona opera, & mala sive peccata prohibet.  
Patet etiam ex ratione, nam si omnia opera no-  
stra sunt peccata, ergo idem est pauperi omnia  
furto surripere, & eleëmofinam dare, nisi quòd  
fortè unum altero majus peccatum sit. Pejus  
est, quòd Hæretici velint omnia peccatum mor-  
tale esse, quod uni Deus imputet non alteri, ci-  
tantes per se vers. 1. & 2dum Psalmi 31. *Beati*

*quorum*

quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* Sed primum & ultimum horum versuum satis indicat, quomodo intermedia intelligenda sint, eo ipso enim, quod peccata per verum de iis dolorem remittantur, tecta quoque sunt, hoc est deleta, ita ut amplius quoad culpam non sint. Qualia si adhuc essent, ea nullatenus tegi possent oculis Dei videntis omnia, quæ & prout sunt. *Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Hebr. 4. v. 13. Pari modo remissum seu expunctum ex libro rationum Dei peccatum ob veram penitentiam non amplius imputatur quoad hoc, quoad quod remissum est, sicut ex tabulis ceratis oblitterantur nomina debitorum, & sic teste Hieron. *Quod tegitur, non videtur, quod non videtur, non imputatur, quod non imputatur, nec punietur, quia jam remissum est.* Quid aptius hodiernis Hæreticis potest responderi? in alio sensu ille etiam beatus est; *cui non imputavit Dominus peccatum*, sive qui nihil commisit, quod imputare ei posset Deus in peccatum. Cæterum si omnia opera peccata sunt, quomodo beatus dicitur? *in cuius spiritu non est dolus*, hoc est, vel qui sincerè cum Deo & hominibus agit, vel qui nequidem in spiritu dolum, hoc est malam cogitationem admisit. Quod aliud sit peccatum mortale, aliud veniale ex eo patet, quia non omne peccatum tollit gratiam & amicitiam cum Deo. Hinc 1. Ep. Joan. 5. dicitur omnem iniquitatem esse peccatum, non

ramen dicitur omne peccatum inducere mortem. Et Jac. 3. *In multis offendimus omnes*, v. g. dum ob subitum motum iræ vel alterius passionis non adest plenus consensus liber; vel dum materia & objectum, in quo peccamus, leve est, ut furtum rei parvæ, vel aliud quid leve contra caritatem proximi, & de hujus generis peccatis dicit Jacobus, ut jam dixi in multis nos omnes offendere, & 1. Ep. Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Prov. 24. v. 16. *Septies cadet justus & resurget, impii autem corruent in malum.* Inde Beda & alii contra Jovinian, Wiclephum, Lutherum & Calvinum probant distinctionem peccati venialis à mortali. Quòd illud cum *justitia* consistat, ex quo identidem resurgit manens NB. *justus*. Mortale autem maximè reiteratum talis sit indolis, ut *impis* à peccato mortali ita nominati ex uno in aliud corruant; vel ut August. serm. 18. de tempore loquitur: *Per consuetudinem peccandi ipsi se suis met ruinis sepeliant.*

jam quòd concupiscentia ejusque fomes peccatum non sit, ut cum Vv. & recentioribus Hæreticis vult Calvinus, ex eo patet, quòd, si tentationi resistamus, victoriam inde & præmium habeamus, & aliàs Paulus tentatus imaginatione carnali absque ullo assensu pravæ suggestioni dato, peccasset mortaliter. At Deus contrarium omninò testatus est 2. Cor. 12. respondens Paulo ab istis impuris motibus sive stimulo Sathanæ eum colaphizante liberari ter  
cu-

cupienti : Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur. Et Paulus ipse agnoscit id à Deo permitti, ne à magnitudine revelationum sibi factarum extollatur, & infirmum se esse sine divina gratia agnoscat. Pulchrè advertit Aug. l. 6. c. 5. contra Pelagium in his verbis Jacob. 1. v. 14. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* In his inquam verbis : *Partum à pariente discerni, pariens enim est concupiscentia. Partus est peccatum, sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* In præcepto non concupisces, Deus non dicit : cave, ne habeas motus passiones aut imaginationes ad malum. Hoc enim pro statim hujus vitæ est impossibile, sed dicit, cave, ne immoreris, & tentationi in delectationem turpem consentias. Et hinc 1. Pet. 5. dicitur adversarium circumire ut leonem rugientem, quærentem quem devoret. Cui NB. *resistite fortes in fide.* In universum demum sciendum est, peccati nomen in S. Script. quadruplici modo accipi. 1. Pro causa & occasione peccati. Sic Deut. 9. & Os. 10. *Idola peccata nominantur.* 2. Pro pœna peccatis debita. Sic 1. Pet. 2. dicitur de Christo : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum,* id est pœnam peccatis nostris debitam, & hoc duplici modo concupiscentia etiam peccatum dicitur. 3. Pro Sacrificio, quod offerebatur pro peccatis. Sic Os. 4. dicitur : *Peccata*

populi mei comedent, hoc est oblata pro peccatis, & eo modo Paulus 2. Cor. 5. vocat Christum Peccatum, dum dicit: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 4. Denique & ut plurimum peccatum denotat culpam & iniquitatem, qua si homines semper contaminati sunt. Quomodo tot in v. & n. testamento vocantur à Deo justii? quomodo, ut bene notat Ambrosius c. 1. in Lucam sic *Deus dilexit Ecclesiam, ut exhibeat ipsam non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta & immaculata.*

sto.

*De operibus bonis, præceptis & non præceptis, & supererogatoriis, ac fiducia in bonis simul operibus locanda, & non in sola fide.*

**I**Rident Calvinistæ aliique cum Lutero Hæretici, quòd fiduciam Catholici ponant in bonis suis operibus, aut jactent se facere plus pro Deo quàm teneantur, oggeruntque illud Luc. 17. debere omnes dicere, etiamsi morem gesserint jussis divinis, *Servi inutiles sumus, quòd debuimus facere, fecimus.* Sed hem! si ergo ibi velit Christus, ut dicamus fecisse nos, quòd debuimus. Ergo præcepta ejus non sunt observatu impossibilia. Quòd si jam quis Catholicus cum Pharisæo illo gloriatur palam de operibus suis bonis, v. g. eleëmofynis, aliosque ideo in corde suo despiciat magis contentus exteriori bono-

honorum operum apparentium cortice, quam nucleo genuinæ humilitatis, intentionis, & erga Deum caritatis. Jam utique ipse cum eodem Pharisæo in extremo etiam iudicii die à Deo & hominibus exhibilabitur. Si verò in humilitate cordis sui, ut jam dixi, Deo ex amore erga ipsum offerat opera bona sive præcepta sive non præcepta, v. g. jeiunium, castigationem corporis, eleëmofynam voluntariam, jam dicet ei Christus illud Matth. 25. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multate constituam.* Huc quoque facit illud 2. Timoth. 2. *Si quis emundaverit se ab istis [errore in fide principiis, & discedat ab iniquitate] erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino, & sectetur, ut ibid. pergit Paulus, justitiam, fidem, caritatem, pacem de corde puro.* Et quid miseri Hæretici oculos veritati occluditis in meridie vel pleno solis lumine? Scripturam semper in clamat, & nullus est error vester, qui non ex Script. prosternatur. Si opera bona non præcepta, sed superogataria negatis dari posse. Dicite amabo, an ex Script. probare potestis? quòd sub peccato semper præceptum sit invisere infirmos incarceratos, potum dare sitienti, cibum famelico, nudo vestem, hospitium peregrino, & tamen in extremo die iudicii juxta illud Matth. 25. à v. 34. dicet Christus: *Venite benedicti Patris mei, & possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus &*

*cooperuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram, & venistis ad me.* Non quidem ego eram talis in persona, sed quod *fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ecce quomodo bona opera & praecepta, & supererogatoria in aeternum compenset Deus, & eorum omissionem dum praecepta sunt (sicut obligatur, qui potest valde indigenti nec vitam suam sine ejusmodi ope sustentare valenti succurrere) poenam infernali puniat, ut ulterius hoc cap. videre est. Hic per parenthesin advertendum, quam manifestè falsum sit fidem solam sufficere, & fiduciam in Christi meritis sine bonis operibus. Sed revertamur ad opera supererogatoria bona sive non praecepta, quod talia dentur, & Deo grata sint, patet manifestè ex 1. Cor. 7. *De Virginibus praeceptum non habeo, consilium autem do* (plura adferentur infra, ubi de votis religiosorum & Consiliis Evang. agetur) Item ex Act. 5, ubi Petrus dicit Ananiae: *Nonne manens tibi manebat* (scilicet pecunia ex agro vendito ad vivendum in communitate fidelium inde alendorum) *& venundatum in tua erat potestate?* quia non erat tibi praecepta extraditio istius pecuniae, quia verò mentitus est, quod Spiritus S. prohibet, ideo subitanè morte ipse cum uxore punitus est.

Jam quod fiduciam in operibus bonis collocandam concernit, sciendum est, quod eam primariè Catholici utique ponant in meritis Christi. Vi quorum unà cum ejus gratia opera bona, sive praecepta sive non praecepta sunt  
meri-

meritoria, sed quia sic fiunt meritoria; hinc etiam exinde in iis tanquam per gratiam Dei factis, & quibus aeterna à Deo promissa sunt præmia, iusta ponitur fiducia. Hinc Tob. 4. dicitur; *Fiducia magna erit coram Domino Deo Eleemosynam omnibus facientibus eam.* Et Paulus ad Hebr. 10. fideliter asserit: *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio (ecce plus quam præceptum est) suscepistis, cognoscetes vos habere meliorem & manentem substantiam;* ( ecce spes promissi præmii ) *Nolite itaque amittere NB. confidentiam vestram, qua magnam habet remunerationem.* Ex his denuò patet fidem cum fiducia in Christi meritis non requiri tantum à Deo, sed etiam bona opera. Ipsi, qui Lutheranos & Calvinistas se vocant, suorum Magistrorum errores exercitè damnant. Dum multas imprimis eleemosynas aliaque opera bona moralia faciunt, & quoad hoc Catholicos confundunt privati. Regentes verò & Principes eorum publicis diplomatibus pœnitentiam à viis malis, aliaque bona opera præcipiunt. Nolentes tamen admittere Catholicorum quoad hæc doctrinam sanam ac veram esse, criminantur eos nimium bonis suis operibus deferre. Ea non esse sic, ut Catholici dicunt, necessaria. Cum abundè pro nobis satisfecerit Christus, requiri tantum tanquam conditionem &c. sed quorsum ista omnia? sic requiruntur merita Christi primariò; quòd sine iis satisfactio condigna divinæ iustitiæ nullatenus fieri potuerit. Sic debent influere in nostra bona opera, ut

sine illis nullatenus vitæ æternæ sint meritoria. Sic Christus pro nobis abundè satisfecit, ut nos emplastrum ex ab ipso factum vulneribus nostris per peccata inflictis per genuinam contritionem debeamus applicare, & bonis operibus per ipsum dignificatis cælum mereri. Hæc utique est conditio necessaria, hinc Luc. 3, dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, NB. non dicitur, quia credidit, sed quia dilexit multum. Plures crediderunt in Christum, *Ex Principibus multi crediderunt in eum*, non tamen salvati sunt, quia volebant ex respectu humano ei adhærere, ut è Synagoga non eijcerentur Joan. 12. Defectu bonorum operum dicit Christus multis: *Nescio vos*, licet se dicant prophetasse, & mira patrasse in nomine ejus. August. l. de fide & operibus c. 14, ait: quia hæc opinio ex Ep. scilicet Pauli (in qua dixerat opera non requiri legis scilicet Judaicæ de circumcissione aliisque cæremoniis, sed per fidem in Christum justificari hominem) male intellectâ de sufficientia solius fidei tunc fuerat exorta: hinc aliæ Apostolicæ litteræ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ necessitatem bonorum operum, fidemque sine iis nihil esse ostenderunt. Per hoc autem quod eas stramineas esse convitiætur Lutherus, non evincit non esse Canonicas aut verbum Dei; sicut nec opera bona non esse necessaria, per hoc evincunt Sectariis quòd ipsi auctoritate propriâ addiderint to solas, quando in Script. dicitur: quòd *Fides justificet*. Apostolus longum omninò sermonem quinque

totis in Ep. ad Galatas capitibus contra eos habet, qui Christianæ fidei componere nitebantur circumcisionem, aliaque in lege Judaica præscripta. Et hæc opera antiquæ legis non tantum non ad salutem requiri affirmat, sed & non habiturum partem in Christo, si quis eam cum Christianâ lege velit componi debere. Hoc clarè patet ex c. v. ad Gal. à v. 2. ubi dicit: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit, in Christo JESU (quia figurâ præsentem figurato cessat) neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ NB. per caritatem operatur.* Sic etiam ad Rom. 3. Paulus dicit: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Sed quòd tantum intelligat opera legis antiquæ, requirat autem opera in lege Christi præcepta, patet manifestè ex toto cap. 13tio Ep. 1. ad Cor. ubi fidem, spem, caritatem, & ad caritatem requisita ita dicit esse ad salutem necessaria; ut sine his dicat non juvare fidem etiam tantam, ut vi ejus quis montes transferat, aut tradat corpus suum, ut ardeat. Et quid multa? nonne Christus expressè dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Lutherus, Calvinus, eorumque tum affectæ tum adversarii, Hæretici tamen solam Scripturam semper inclamantes de suo critirio nova producunt mysteria de fide tenenda, dicuntque hominem non justificari per fidem dogmaticam aut miraculorum operatricem, sed per *fidem fiducialem, & hanc specialem non generalem tantum.* Sed quid est hæc fides? an est actus

intellectus tantum? si tantum actus intellectus est [ prout verè ac propriè actus fidei in Scriptis sumitur, dum dicitur esse *sperandarum substantiarum*, & *argumentum rerum non apparentium*, sive assensus iis præstitus ob auctoritatem Dei dicentis ] jam non potest simul dici esse fiducialis, quia fiducia saltem partialiter spectat ad voluntatem, & sic præter actum fidei requiritur aliquis actus bonus voluntatis, adeoque fides sola non justificat. Quæ non potest non esse nisi purus actus intellectus, quia si fides simul includat spem aut fiduciam, jam malè Scriptura diceret *tria hæc* [ inter se scilicet distincta ] *fides, spes, charitas*. Si dicis, ut ut sit, justificari saltem hominem per fidem quatenus actus intellectus est, si adjunctam habeat fiduciam in meritis Christi, & hinc in Catechismo Heidelbergensi dici; quòd credens in Christum & fiduciam ponens in ejus meritis, qui abundè pro nobis satisfecit, æquè à peccatis omnibus mundetur, & innocens sit, ac infans per baptismum ab originali mundatur peccato & justificatur, R. Quomodo vos prædicantes decipitis ignorantem populum tam noxiam inspirando fiduciam? ut nec contritionem, nec alia opera bona ulterius judicet esse necessaria, Nunquid ista specialis fides fiducialis actum intellectus & fiduciæ, qui est actus voluntatis, includens deberet esse supernaturalis? cui autem certum esse potest? quòd actum supernaturalem elicerit. Quomodo ergo potestis miserum populum tam securum reddere? maximè cum hoc prin-

principium, quòd sufficiat ad salutem credere, & fiduciam ponere in meritis Christi, viam pandat ad ulteriora scelera patranda, & non ad patrata detestanda & dignè expianda. Certè vestri Magistratus plectentes scelera infami morte & diris suppliciis non sunt contenti, quòd ad furcam damnatus dicat se credere, & fiduciam habere in meritis Christi. Et si alicui vitam condonarent, non alteri id facerent, quàm quem judicarent verè abominari delicta sua patrata, ea desistere ex animo ità quidem, ut prudens, & quasi moraliter certum de eo formari possit iudicium, eum delicta ejusmodi sive furti sive latrocinii non ampliùs perpetraturum. Quare ergo ò seductores populi non ostenditis illi meliorem modum, quomodo Deum infinita Majestatis sceleribus, pro quibus æternas minitatus est pœnas, offensum placare debeat? cur continuò contra vestram propriam conscientiam, si aliquid rationis habetis, & aliquo modo tam in veteri quàm novo testamento versati estis, oggeritis populo textus hos aut similes: *Qui credunt in Christum, accipient remissionem peccatorum. Act. 10. In Christo omnis, qui credit, justificatur. Act. 13.* Scitis enim non omnia ad salutem necessaria haberi in uno vel altero præcisè Scripturæ loco, scitis per hoc Scripturam non excludere bona opera, quod in uno vel altero loco expressam de iis mentionem non faciat. Scitis in S. Scripturæ locis plurimis expressè requiri caritatem, pœnitentiam, bona opera juxta illud: *Qui non diligit, manet in morte.*

112      *Pars secunda de elevatione*  
*morte. Joan. 3. Item Si Spiritu facta carnis*  
*mortificaveritis, vivetis. Rom. 8. Item Remit-*  
*tuntur ei peccata multa, quoniam dilexit mul-*  
*tum. Luc. 7. Ecce causalem, cur Deus remit-*  
*tat peccata. Dum credidit Abraham Deo, &*  
*reputatum est ei ad justitiam, non credidit remis-*  
*sa sibi esse peccata, de quo hic loci quæstio; &*  
*ibi non fuerat sermo, sed quòd habiturus esset*  
*hæredem; & quia in spem contra spem credi-*  
*dit ipso & uxore ejus sene, sive quia pia affectio*  
*voluntati intellectum induxit ad cœcè & firmil-*  
*simè credendum Deo revelanti contra omne id,*  
*quod persuadere intellectui posset id non futu-*  
*rum, hinc hæc bona ejus voluntas ei reputata*  
*est ad justitiam. Utinam similes pias affectio-*  
*nes voluntatis haberent Ministelli, sic & se &*  
*populum inducerent ad credendum ea, quæ*  
*credenda proponit universalis Mater Ecclesia,*  
*& in specie prædicarent pœnitentiam & fidem*  
*vivam, & practicam, quæ includit bona opera,*  
*sicut Paulus prædicavit Corinthiis dicens 2. Cor.*  
*c. 7. Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia*  
*contristati estis ad pœnitentiam, secundum Deum,*  
*quæ enim secundum Deum tristitia est, pœniten-*  
*tiam in salutem stabilem operatur. Sed de his*  
*plus quàm satis. Ingenuo cuilibet salutemque*  
*suam amanti inhæreat illud Greg. hom. 29. in*  
*Ev. Fortasse quis apud semetipsum dicat, ego jam*  
*credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operi-*  
*bis tenet, vera etenim fides est, quæ in hoc, quòd*  
*verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est*  
*enim, quòd de quibusdam falsis fidelibus Paulus*  
*dicit,*

dicit, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

§. 2<sup>us</sup>.

*Homines variarum aetatum utriusque sexus.  
Infantes.*

**E**X ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Pl. 8. Nisi efficiamini sicut parvuli (humilitate & simplicitate) non intrabitis in regnum caelorum. Matth. 18. Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit, qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Ibid. Collige, quid meriti habeas ex instructione bona parvulorum, & quam severas habeas Deo reddendas rationes ex eorum seductione. *Malitia parvuli estote.* 1. Cor. 14. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Sap. 8. Quanta felicitas hominis unius respectu alterius minus felicem indolem sortiti! *Relinquitte infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentia.* Prov. 9. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi, quae erant parvuli.* 1. Cor. 13. Talis debet esse progressus respectu perfectionis in religioso. An jam potes dicere, quod

quòd in virtute à novitiatu creveris? vel an multum est, te in primo fervore perseverasse? & an non pessimum, nec ullatenus coram Deo excusabile, ab eo te descivisse?

*Adolescentes, Juvenes,*

**F**ili, à juventute excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam. Eccl. 6. Adolescens loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens, simul & quarens. In medio magnatorum non presumas, & ubi sunt senes, non multum loquaris. Eccl. 32. Benè observanda hæc homini juniori documenta, qui se se doctum, ingeniosum esse putat, & ad fastidium prudentiorum loquaculus est. Cùm esset junior omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere. Tob. 1. Hæc magna laus adolescentis: *Fili sine consilio nihil facies.* Eccl. 32. Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Gen. 8. Hinc & adolescentis & ejus gubernatori contra nitendum. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Pl. 118. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in celo, viam colubri super petram, & viam maris in medio mari, & viam viri in adolescentia sua. Prov. 30. Hoc quidem in sensu mystico applicatur Christo, sed in sensu literalis verum est de quolibet adolescente utriusque sexûs. Et hinc ora Deum sæpè, ut tuæ curæ commissos præservet ab

ab occasionibus, in quibus prævidit eos fore infelices: & pete, ut iis det gratiam congruam perveniendi ad statum, in quo salvabuntur. Reflecte etiam ad pericula, in quibus tu ipse in tali ætate fuisti, & age Deo gratias; quòd in & à tam multis adhuc sis præservatus.

*Puella.*

**T**U scis Domine, (ajebat Sara) quia nunquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus (lascivè) miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui, virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensu suscipere. Tob. 3. Felix puella, quæ idem coram Deo contestari potest. Hac fuit iniquitas Sodoma, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus. Ezech. 16. Hoc adhuc multas facit puellas lascivas.

*Mulieres.*

**Q**ui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino. Prov. 18. Inveni amariorum morte mulierem, qua laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius, qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa. Ecce hoc inveni unum (scilicet, quod jam dixi de illecebris mulierum) & alterum, ut invenirem rationem (cur scilicet difficilius sit probam & prudentem

116      *Partis secunda de elevatione*  
dentem mulierem; quam virum invenire } non  
inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem  
ex omnibus non inveni. Eccl. 7. Interpretes pu-  
tant, Salomonem alludere ad 700. uxores &  
300. concubinas suas, & nullam invenisse in  
his 1000. bonam. Ab una muliere Eva omne  
malum, ab una Maria omne bonum. Integra  
regna conversa & perversa sunt per mulieres  
conversis & perversis Regibus. Duos homines  
iterum recepit paradysus, vel ideo tutos, quod  
absit jam mulier.

Adam, Sampsonem, Davidem, Loth, Sa-  
lomonem

Fœmina decept: quis modò tutus erit.  
Jure & ideo lex à Christo lata (dicebat quidam)  
vocatur lex gratiæ; quod non nisi unam ducere  
uxorem præceperit, adeoque à pluribus cruci-  
bus domesticis hominem liberarit. In Genea-  
logia Christi Scriptura non meminit sanctarum  
mulierum, sed alicujus turpitudinis labe insi-  
gnium: Thamar, Rachab, Ruth, Bethsabee.  
Ut, qui propter peccatores venerat, de peccatori-  
bus nascens, in se omnium peccata delere velle de-  
monstraret. Ita SS. Ambros. & Chrysost.

#### *Viri.*

*Vir consilii non disperdet intelligentiam. Eccl.*  
*32. Virum sanguinum & dolosum abomina-*  
*bitur Dominus. Pl. 5. Bonum est viro, cum por-*  
*taverit iugum ab adolescentia sua. Thren. 3.*  
*In adolescentia innocente factus religiosus,*  
vel

vel in sæculo in timore Dei semper confortatus,  
*Vir amabilis ad societatem magis amicus erit,  
quàm frater. Prov. 18. Beatus vir, qui non  
abit in consilio impiorum, & in via peccatorum  
non stetit, & in cathedra pestilentia non sedit (ab-  
ductus erroneis principiis, sive in fide, sive in  
moribus) sed in lege Domini voluntas ejus, & in  
lege ejus meditabitur die ac nocte: & erit tan-  
quam lignum, quod plantatum est secus decursus  
aquarum, quod fructum suum dabit in tempore  
suo, & folium ejus non defluet, & omnia, quacun-  
que faciet, prosperabuntur. Non sic impii, non  
sic; sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à  
facie terra. P. 1. Hoc in gratiam virorum  
fusiùs adducitur, qui genuinum virile pectus  
habent, nec lenociniis nec adversis enervan-  
dum. Melior est iniquitas viri, quàm mulier  
benefaciens. Eccl. 42. i. e. Magis tibi proderit,  
vel minùs nocebit injusta vexatio per virum il-  
lata, quàm blanditiæ mulieris ignem concupi-  
scentiæ in te succendentis. Sic enim (ut in  
contextu sequitur) confundet in opprobrium,  
præcipitans in pudendam infamiam fornicatio-  
nis & adulterii. Mulier enim, ut est in prover-  
bio, cui benefacit, ei se prostituit.*

*Senes.*

**N**on spernes hominem in senectute sua: quo-  
niam ex nobis senescunt. Eccl. 8. Non te  
prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt  
à patribus suis. Ab ipsis disces intellectum, &  
in

in tempore necessitatis dare responsum. Ibid. Tres species odit anima mea: pauperem superbum, & divitem mendacem, & senem fatuum, & insensatum. Eccl. 25. Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus Judicibus. Dan. 13. Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra Seniorum laudent eum. Pl. 106. Senes, ut sobrii sint pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Tit. c. 2. Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Pl. 70. Tunc enim ob deficientes vires mentis tuo auxilio indigebo. Senectus venerabilis non diuturna, neque annorum numero computata. *Ætas senectutis vita immaculata.* Sap. 7. Habent senes insigne exemplar in Elezaro Nonagenario 1. 2. Machab. c. 6. quod totum meretur legi.

## §. 3tius.

Boni, Mali, Hostes, Consanguinei, & diversa fortuna.

## Boni.

**B**Eati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Pl. 118. Hec est generatio querentium eum, querentium faciem Dei Jacob. Pl. 23. Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Tob. 2. Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Pl. 91. *Junior*

fuit

fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem. Totà die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit. Pl. 36. Hi sunt viri misericordia, quorum justitia oblivionem non acceperunt. Cum semine eorum permanent bona. Hereditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filii eorum propter eum in aeternum manent. Generatio eorum & gloria eorum non derelinquetur, laudem eorum annuntiet omnis Ecclesia Sanctorum. Eccl. 44. Melius est modicum iusto [ qui non accipit corruptiones ] super divitias peccatorum multas Pl. 36. Cum Sancto sanctus eris, & eum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris. Pl. 17. Qui thesauro sapientiae divinae usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei propter discipline dona commendati. Sap. 7.

*Mali in genere.*

**I**niquos odio habui, & legem tuam dilexi. Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Omnem viam iniquam odio habui. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici tui. Longè à peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisiverunt. Pl. 118. Perfecto odio (cadente in scelera, non in personas) oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Pl. 138. Ob monita mea exacerbati. Si praecipuus fuerit homo in delicto; Vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis: consi-

considerans te ipsum, ne & in tenteris. Gal. 5.  
 Gens absque consilio est & sine prudentia, utinam  
 saperent & intelligerent, & novissima providerent.  
 Deut. 32. Deficiant peccatores à terra, & iniqui,  
 ut non sint. Pl. 103. Docebo iniquos vias tuas, &  
 impii ad te convertentur. Pl. 50. Non resurgent  
 impii in iudicio, neque peccatores cum consilio iu-  
 storum. Pl. 1. NB. Non dicitur simplicitèr  
 eos non resurgere; sed non resurgere cum iu-  
 stis, sive stare à parte illorum, nec aufuros con-  
 tra eos erigere caput, quos in vita hac habue-  
 rant in derisum, & in similitudinem improperii.  
 Sap. 5. Si iustus vix salvabitur, impius & pecca-  
 tor ubi apparebunt. 2. Pet. 4. Nihil est terribi-  
 lius peccatore in agone desperante, juxta illud  
 Pl. 111. Peccator videbit, & irascetur: dentibus  
 suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum pe-  
 ribit. Dum audis lapsum alicujus, dole, &  
 Deo age gratias, quòd te præservaverit, vel è  
 statu peccati eduxerit. Cum ceciderim, non sum  
 collisus, quia Dominus suppositus manum suam.  
 Pl. 36. Qui stat, videat ne cadat. 1. Cor. 10.  
 Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habi-  
 tasset in inferno anima mea. Pl. 93.

Mali in specie.

Gentiles, Hæretici.

**I**lluminare his, qui in tenebris & umbra mor-  
 tis sedent ad dirigendos pedes in viam paci-  
 Cant. Zachar. Si quis aliter docet, & non ac-  
 quiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi

(v. B.)

(v.g. his: si vis ad vitam ingredi, serva mandata)  
 & ei qua secundum pietatem est doctrina [ v. g. de  
 consiliis Evang. bonis operibus ] *superbus est ni-*  
*hil sciens, sed languens circa quaestiones & rugnas*  
*verborum.* 1. Tim. 6. Tales inutiles quaestiones  
 sæpè adverti formari ab Hæretico argumentis  
 solidis presso. Sicut autem mille ex Ecclesiasti-  
 eis & religiosis facili modo refutant impia Lu-  
 theri, Calvini dogmata; ità modicè doctus esset  
 Theologus, qui non posset hæresin aliquam  
 protrudere, si Ecclesiæ & primogeniæ se nolit  
 subicere doctrinæ, sed suæ inhæreat superbiæ  
 ac pertinaciæ citando pro se hunc vel illum tex-  
 tum Scripturæ. *Etiam Diabolus*, ut benè ad-  
 vertit S. Hieron. *pro se citavit Scripturam*, dum  
 voluit, ut Christus super pinnam templi con-  
 stitutus se deorsum præcipitaret. Luc. 4. *Et ego*,  
*pergit Hieron. si Ecclesiam audire nolim, dicam*  
*non esse fidelem, qui portat sacculum calceamenta*  
*duas tunicas*, aut aliquem in via salutat. Ideo  
 Apostolus Act. 15. præcipiebat custodire præ-  
 cepta Apostolorum & Seniorum, & ad Hebr.  
 13. monet *doctrinis variis ac peregrinis* ne abdu-  
 ci nos patiamur, & ad Gal. 5. universim illis di-  
 cit anathema, qui prædicaverit aliquid contra-  
 rium illis, *quæ ipse non tantùm NB. verbo scri-*  
*pro tradiderat, sed & quæ ipse evangelizaverat,*  
 & 2. Tim. 2. dicit de Hæreticis: *Sermo eorum*  
*ut cancer serpit, ex quibus est Hymeneus & Phi-*  
*letus, qui à veritate exciderunt, facti Hæretici*  
*& alios pervertentes.* Et ad Titum c. 3. v. 10.  
 idem Apostolus dicit: *Hæreticum hominem post*

unam & secundam correptionem devota, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est. S. Joannes Evangelista & Apostolus, quem diligebat Jesus, Ep. 2. v. 10. dicit: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam [scilicet Christi ab ipso & Apostolis aliis prædicatam] non affert; nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.

Quæres quomodo hoc intelligendum sit ab Apostolo aded mansueto, benigno, & qui nil aliud quam dilectionem proximi continuo instillabat, & defectis ob eandem semper adhortationem discipulis dixit dignam Joanne sententiam, satis esse, sive impletam esse legem Christi, si hoc fiat. R. S. Joannes interdicat commercium omne cum Hæreticis hæreseos NB. spargendæ adventantibus, & vetat ne salutando aut eos hospitio excipiendo videamur illis favere, applaudere & cooperari. Sicut peccaret, qui meretricentem, furem aut latronem sciens volensque exciperet, eumque foveret. Alioqui seculari periculo perversionis seu tui seu aliorum, & semoto scandalo non vetatur jure divino vel naturæ communicatio cum Hæreticis præsertim, si necessitas, humanitas cadens in honestum & Deum timentem virum, vel pietas vel gravis utilitas, eam suadeat.

Cum Paulus 1. Cor. 11. v. 19. dicat: Oportet hæreses esse. Quæres, quomodo hoc intelligendum sit. R. To oportet intelligendum est non de necessitate absoluta, sed ex hypothese. Sensus ergo est, eam non posse non esse spectati  
hu

humanâ infirmitate, inconstantia, superbiâ & pruritu ac pronitate in novitates, quali laborabant Corinthii in schismata & dissensiones proni in specie quoad locum, tempus convivas ratione sumptionis Eucharistiæ. De qua materia hic agit Paulus, hinc addit: *Ut & qui probati sunt* [probi, firmi, solidi,] *manifesti fiant in vobis,* v. g. pauperes Corinthii, hi enim à divitibus exclusi & contempti idque æquanimiter ferentes probantur constantes & patientes esse. Teste August. l. 1. in gen. contra Manichæos c. 1. & lib. de vera religione c. 8. sub hypothese humane inconstantie & malitie oportet esse hæreses, & Deus illas permittit. *1mò.* Ut boni per suam constantiam manifestentur, eorumque augeantur merita, factor verò hæreticæ pravitatis absensus clariùs paulatim se ipsum prodat. *2dò.* Ut ignorantia ab Ecclesia procul facessat, quia hæreses de somno profundo pigritie ad laborem, ad legendam Scripturam, indagandas Ecclesiæ veræ notas ex SS. PP. & DD. excitant. Hoc tempore Lutheri ad oculum patuit, prò qualis tunc ignorantia & pigritia! & qualis non multos intra annos insequentes doctrina omnigenaque scientia in orbem introducta! sic divinæ semper providentiæ proprium est ex mortifero veneno præstantissimum extrahere antidotum.

*Bacchantes ebriosi.*

*Edit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, & ira Dei ascendit super eos.*

Pl. 77. *Va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Luc. 6. *Esca ventri & venter escis; Deus autem & hunc & has destruet.* 1. Cor. 6. *Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt, nostra autem conversatio in caelis est.* Philip. 3. *Qui diligit epulas, in egestate erit, qui amat vinum & pingua, non ditabitur.* Pro. 21. *Nec temporaliter, nec spiritualiter. Noli esse in convivio potatorum, nec in commessationibus eorum: quia vacantes potibus, & dantes symbola consumerunt.* Pro. 23. *Cui va? & cuius patri va? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? nonne his qui commorantur in vino, & stident calicibus epotandis?* Pro. 23. *Absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem (memoriae Dei obliti) ignoraverunt iudicium. Mensa repleta sunt vomitu, sordiumque, ita, ut non esset ultra locus.* Il. 28. *Luxuriosos vinum, & tumultuosa ebrietas. Quicunque his delectatur, non erit sapiens.* Pro. 20.

## Luxuriosi.

**D**ucunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Job. 21. *Risus dolori miscetur, & extrema gaudii luctus occupat.* Pro. 14. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem immunditiae omnis.* Ephel. 4. *Horrendum est, quam fiat lapsus ex una sorditiae in alteram, quasi desperando, & re-  
nedia omnia respuendo.* Blas.

## Blasphemi.

**C**ogitaverunt, & locuti sunt nequitiam. Posuerunt in calum os suum [blasphemando] & dixerunt quomodo scit Deus? & si est scientia in excelsis. Pl. 72. Nolite extollere in altum cornu vestrum. Nolite loqui adversus Deum iniquitatem; quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus (effugium ab ipso) quoniam Deus Judex est. Pl. 74. In campo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Pl. 31.

## Nugivenduli, Vani.

**N**on est in ore eorum veritas, & cor eorum vanum est. Pl. 5. Non sedi cum concilio vanitatis. Pl. 25. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Pl. 118. Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione. Pl. 77. Filii hominum usquequo gravi corde! ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium. Pl. 4. Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Pl. 39.

## Fraudenti, Adulatores.

**D**isperdat Dominus universa labia dolosa & linguam magniloquam. Pl. 4. Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula. Pl.

54. *Qui, quod novit, loquitur, index justitia est, qui autem mentitur, testis est fraudulentus.* Prov. 12. *Erubescant impii, & deducantur in infernum. Muta fiant labia dolosa.* Pl. 30. *Odisti observantes supervacue.* Pl. 34. *Fraudulenti sua propria sapere capiuntur vel irretiuntur astutia. In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Pl. 9. *Hoc illi sciunt, qui capti sunt reti, quo alios voluerunt involvere. Meliora sunt vulnera diligentis, quam oscula odientis.* Pl. 27. *Fraude ne quidem res bona urgenda. Nunquid Deus indiget vestro mendacio? aut placebit ei, quem celare nihil potest, aut decipietur ut homo vestris fraudulentis.* Job. 13. *Demum quid juvat te homo pseudopolitice vim & vires tuas ponens in complimentis sive completis mendaciis. Si videaris vir honestus sincerus huic illi benevolus, & in extremo die coram omnibus appareas mendax fraudulentus, & ideo omnes te exhibilent & execrentur, an hoc non cordi ducis stulte?*

*Rixosi, Vindicatores.*

*E* *fice derisorem, & exhibit cum eo iurgium. cessabuntque causa & contumelia.* Prov. 22. *Sic quidam superior religiosus jubebat statim exire ex cubiculo rixas inchoantem, ad quod ad caritatem magis fovendam conventum erat. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Pl. 13. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, homo homini reser-*

vat iram, & à Deo querit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo. Abstine te à lite, & minues peccata. Eccl. 28. Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei usque septies? dixit illi Iesus, non dico tibi septies sed usque septuagies septies. Matth. 18. Vide ibidem parabolam de servo non condonante conservo, & videbis semper condonandum proximo, nec vindictam ex odio erga inimici personam sumendam. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus & sumas scandalum (seducaris ad idem) anima tua. Prov. 22.

*Hostes Consanguinei.*

**D**iligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, ut filii sitis patris vestri, qui incalis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Matth. 5. Noli dicere per te diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur. Nam sciendum est Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta à Davide, Stephano, Paulo, &c. Ita Hieron. cum ergo ab actu bonasit argumentatio ad potentiam, in his & aliis præceptis difficilioribus teste S. Script. ab hominibus cum Dei gratia impletis, iterum confundantur Hæretici dicentes ea servatu esse impossibilia. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua Eucharis in bono homine abundat. Eccl. 6.

Sicut Dei providentia ad conservationem & defensionem humani generis vinculum sanguinis posuit, ita tam benè lethale odium inter consanguineos fraternaue odia, quàm inordinatus affectus erga carnem & sanguinem origo est multiplicis mali. Et sicut dicit Christus ad consilia Evangelica sequenda vocato, *qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Matth. 10. Ità & ibid. dicit parentibus pro solatio suo, vel familiæ ut sibi imaginantur bono, impredientibus proles capaces aut pulchras à statu religioso, & defectuosas Deo in religione obtrudentibus, *qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.*

*Avari.*

**N**on est satiatus venter ejus, cum habuerit omnia, que concupierit, possidere non poterit. Job. 20. Tam deest avaro, quod habet, quàm quod non habet. *Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.* Pl. 38. *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Pl. 61. Nihil est iniquius quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet, avaro nihil est sceleratius. Eccl. 10. *Omnis homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.* Eccl. 3. Sicut revera maledictio est, quando avarus nec pro se, nec pro alio emolumentum aut commodum habet ex sua substantia, & nec ex amore erga Deum, vel ob satisfactionem pro pec-

peccatis suis præstandam, sed purè ex avaritia re-  
ditibus suis non utitur, & alieni postmodum  
comedunt labores ejus. Quòd si jam aliis ex  
tuis bonis benefacis, vide ne iterum avarus sis.  
Nam teste Ambrosio l. 7. c. 14. Luca. *Hospita-*  
*lem esse remanentis affectus avaritiae est.* Hinc  
in manus pauperum optimè deponuntur the-  
sauri pro vita altera, & si aliis benefacis sine in-  
nominato contractu: do ut des.

*Pomposi, Magnifici.*

*V*elut somnium surgentium Domine, imagi-  
nem ipsorum ad nihilum rediges. Ps. 72. *Pe-*  
*riit memoria ipsorum cum sonitu* [ dum tempore  
pomposæ sepulturæ pulsantur campanæ organa  
& tympana ] *tanquam fœnum velociter arescent,*  
*& quemadmodum olera herbarum citò decident.*  
Ps. 36. *Vidi impium superexaltatum & elevatum*  
*sicut cedros Libani, transivi, & ecce non erat, que-*  
*sivi eum, & non est inventus locus ejus.* Ps. 36. *In*  
*labore hominum non sunt, & cum hominibus non*  
*flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operi sunt*  
*iniquitate & impietate sua.* Ps. 72. Nullum cer-  
tius reprobationis signum, quàm si abundantes  
in hoc sæculo etiam felices ob opera quædam  
moralia bona in hac vita à Deo præmientur, nul-  
lisque premantur adversis, quæ rebelles eorum  
voluntates ad Deum compellerent. Hinc benè  
S. Bern. absit à me talis misericordia, hinc ure,  
hic seca, modò in æternum parcas. *Hac mihi*  
*fit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec*

*Pars secunda de elevatione  
contradicam sermonibus Sancti. Job. 6. Dilata-  
vit infernus animam suam, & descendent fortes,  
& sublimes gloriosique ad eum. Is. 5.*

*Superbi.*

*S*l quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit,  
ipse se seducit. Gal. 6. Initium superbia ho-  
minis apostatare a Deo, quoniam ab ipso, qui fe-  
cit illum, recessit cor ejus. Eccl. 10. Superbo  
oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam. Pl.  
100. Oculos superborum humiliabis. Pl. 117. Me-  
lius est humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia  
cum superbis. Prov. 16. Deus superbis resistit,  
humilibus autem dat gratiam. Jac. 14.

*Fures.*

*F*ur erat & loculos habens. Joan. 12. Dies  
Domini sicut fur in nocte ita venit, cum enim  
dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis su-  
perveniet interitus. 1. Theff. 5. Tam in particu-  
lari quàm universali judicio, & licet incerta sit  
hora mortis, plerumque tamen tam boni quàm  
mali illâ horâ moriuntur, qua necdum mortem  
tam vicinam esse putabant. Nolite detrahere al-  
terutrum. Jac. 7. Furtum famæ periculosius  
furto bonorum. Potes & teneris sæpè abla-  
tam restituere famam, & non facis præ metu  
confusionis. Non dimittitur autem peccatum,  
nisi restituatur ablatum.

*Latrones.*

**D**omus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Luc. 19. Lascivientes in templo juvenes & nudè vestitæ puellæ per oculos velut vitra caustica accendentes ignem Venerèum. *Crucifixi sunt cum eo duo latrones.* Matth. 27. Hanc infamiam pro te sustinuit Christus, & tu pro Christo non voles pati confusionem? quòd unus latro in peccatis mortuus sit, est mors ordinaria juxta illud, qualis vita finis ità. Quòd alter convertus salvus factus sit, est medicina extraordinaria, ne peccator agonizans & tempus pœnitendi habens desperet. Sed & mira vis gratiæ, quòd primus quasi Apostolus Christum ex cathedra Crucis promulgans Apostolis fugientibus fuerit latro. Duo latrones invisibiles Christum crucifigentes sunt amor ex parte Dei, peccatum ex parte hominis. Hinc S. Franc. Salesius sæpè ingeminabat:

Aut amor aut furor est, qui te bone Christe peremit,

Et amor & furor est, hic meus, ille tuus.

*Homines varia fortuna.**Divites.*

**N**on timeas, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus, quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Pl. 48. *Divitias,*

132 Pars secunda de elevatione  
quas devoravit, evomet, & de ventre illius ex-  
trahet eas Deus. Job. 20. Popule meus, quate-  
beatum dixerunt (adulantes & te confirmantes  
in amore terrenorum) ipsi te decipiunt, & viam  
gressuum tuorum dissipant. Il. 3. Duo rogavi te,  
ne deneges mihi, antequam moriar. Vanitatem  
& mendacia longè fac à me, mendicitatem & di-  
vitiarum ne dederis mihi, ne forte satiatus illicitum  
adnegandum, & dicam: quis est Dominus? aut  
egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei  
mei. Prov. 30. Moderata fortuna optima &  
constantissima,

#### Pauperes.

**E**tiam proximo suo [consanguineo] pauper  
odiosus erit, amici verò divitum multi. Prov.  
14. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.  
Luc. 16. Fœneratur Domino, qui miseretur pau-  
peris. Prov. 19. Et hinc Beatus qui intelligit su-  
per egenum & pauperem, in die mala liberabit  
eum Dominus. Prov. 40. Et bene Poëta:

Munera ne numeras, miseris quæcunque de-  
disti,

In cælis numerat munerat ipse Deus.

Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum sal-  
vas faciet. Pl. 71. Ne avertatur humilis factus  
confusus, pauper & inops laudabunt nomen tuum.  
Pl. 73. Tibi derelictus est pauper, & orphanotus  
eris adjutor. Pl. 9. Nonne Deus elegit pauperes  
in hoc mundo divites in fide & heredes regni, quod  
repromisit Deus diligentibus se. Vos autem exhor-  
norastis

*norastis pauperem. Jac. 2. Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat, de stercore elevat pauperem. 1. Reg. 2. Ex Opilione Davide facit Regem. Superexaltat misericordia judicium. Jac. 2. Hoc est, supra judicium se exaltat & elidit ejus rigorem è manu Judicis, quasi virgam & flagellum extorquens, unde Syrus vertit: Exaltati estis per misericordias supra judicium.*

*Infirmi, leprosi, sardi, claudi, caci.*

**D**ominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. Ps. 40. Caci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt. Luc. 7. Vir plenus leprà rogavit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare, & extendens manum tetigit eum dicens: volo mundare. Luc. 5. Lepra pessima est peccatum, à qua mundari debes per Sacramentum Confessionis. Caci sunt, & duces cacorum. Cacus autem si caco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. Matth. 15. Liberet te Deus à malis instructoribus. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio (immissa cæcitas) probaret te. Tob. 12. Ergo non alia ad cælum via, quàm per cruces. Surde & mute spiritus, ego precipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introcas in eum. Marc. 9. Pessimus est Diabolus, qui instigat ad non audien-

dum verbum Dei, & peccata in Confessione non aperienda. *Tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Pl. 37. David in persona Christi. *Testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & gentes ambulans in vanitate sensus sui, & tenebris obscuratum habent intellectum, alienati à vita Dei, propter felicitatem cordis ipsorum.* Ephel. 4. *Exi cito in plateas & vicus civitatis, & pauperes ac debiles, & cecos & claudos introduc huc.* Luc. 14. Ergo nemo, utcumque abjectus videatur in mundo hoc, excluditur à convivio cœlestis Patris-familias. Dummodo habeat vestem nuptialem gratiæ sanctificantis; quâ plerumque magis destituti sunt felices in mundo hoc, quàm alii. Et sic ligatis manibus & pedibus projiciuntur in tenebras exteriores. Matth. 22. *Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* 3. Reg. 18. Pseudopoliticus definitur, quòd sit animal ità serviens Deo, ut non offendat Diabolum.

*Documenta pro afflictis.*

**C**um ab infantia ( Tobias ) semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cecitatis eveniret ei: sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vita sua. Tob. 2. Hanc autem tentationem idè permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patienti-

tientie ejus, sicut & Sancti Job. Ibid. Hoc mi-  
feri variisque adversis pressi cordi ducant, & di-  
cant cum eodem: *Justus es Domine, & omnia  
judicia tua justa sunt, & omnes viae tuae miseri-  
cordia & veritas & judicium.* Tob. 3. & cum  
Sara ibid. Hoc pro certo habet omnis, qui te co-  
lit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coro-  
nabitur. Si autem in tribulatione fuerit, libe-  
rabitur, & si in correptione [ob peccata] fue-  
rit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non  
enim delectaris in perditionibus nostris, quia post  
tempestatem tranquillum facis, & post lacryma-  
tionem & fletum, exultationem infundis (inter-  
num solatium) sit nomen tuum Deus Israel bene-  
dictum in secula. Quod si jam in miseria tua  
subinde impatiens fuisti, aut improvidè qua-  
dam effutiisti, adeoque de te dici non possit,  
quod de Jobo: *In omnibus his non peccavit Job  
labiis suis: dole, & revertere ad Dominum  
Deum tuum, quem impatientiâ tuâ non coges  
ad te liberandum ab hac vel illa miseria: sed po-  
tius pro altera vita pœnas inferni aut purgatorii  
augebis. Sicut patientiâ, & in Dei voluntatem  
relegatione coronas augeas æternas. Et sicut po-  
næ hujus mundi nihil sunt respectu pœnarum in  
vita altera; ita & omnis felicitas & infelicitas in  
vita hac nihil est respectu coronarum æterna-  
rum. Mors tantaneum & leve tribulationis nostræ  
æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor.  
4. *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quo-  
niam non dereliquisti quærentes te Domine.* Ps. 9.  
Est & hoc notandum, quod Chrysostr. hom. 8.  
in

in Matth. describens fata S. Josephi Nutritii Salvatoris observat dicens : *Misericors Deus mœstis rebus quadam etiam jucunda permiscuit , quod certè in Sanctis omnibus facit , quos neque tribulationes neque incanditates sinit habere perpetuas , sed tum de adversis tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contextit.* Et hoc te sive sæcularis sive religiosus sis , sive in hoc sive in illo officio consolari & animare debet. Præterea si adversa pateris , non habes exclusivam à cælo. *Omnes enim , qui piè volunt vivere in Christo Jesu , persecutionem ( adversa ) patientur , 2. Tim. 3.* Quòd si jam prosperè hoc illud tibi succedat , cogita id inde evenire , quod tibi sincerè Dei gloriam proximique aut proprium animæ tuæ bonum spectanti hoc solatium etiam in hac vita det Deus ad te in servitio suo animandum. Dicunt aliqui ob adversa mœstitiæ oceano immergi , se non experiri successum alicujus prosperitatis aut divinæ benedictionis post tot adversa , morbos , egestatem , &c. sed præterquam quod ipsi sæpè in causâ sint v. g. continuæ infirmitatis , mali successus in re familiari , negotiis , litibus &c. nec miracula à Deo requirere debeant , & quisque suæ fortunæ plerumque faber sit , falsum est , quòd quisque demum miser continuò deseratur à Deo. Unde enim haberet panem , has illas vires animi & corporis ? nisi Deus hoc illo solatio hâc illâ mirabili ac benevolâ dispositione adesset.

*Incarcerati.*

**I**ncarceribus per infamiam & bonam famam  
ut seductores & veraces. 2. Cor. 6. viri Apo-  
stolici, in carcere erant, & non visitastis me.  
Matth. 25. Bonum est, ut vir Apostolicus se-  
lecta sibi comparet ad convertendos ob scelera  
incarceratos. Maximè si ad mortem educendi  
sint homines crudi effrontes desperabundi. Cer-  
tè ad homines ejusmodi diu non confessos, &  
sceleribus quasi insepultos convertendos mag-  
nus animus, magna dexteritas, & ante omnia  
singularis Dei gratia requiritur, nec bona sem-  
per est praxis quorundam, ut nunquam permit-  
tatur educuro Sacerdoti ad ferale supplicium  
ejusmodi homines ad illos accessus quàm post  
indictam mortem triduo ante eam. Fit hoc ex  
metu, ne Sacerdos suis consiliis fortè juvet fon-  
tes ad evadendam mortem, vel etiam impetret  
gratiam à Principe mediatè per alios aut imme-  
diatè. Sed (præterquam quòd ille id facere  
non deberet, nisi gravissimis non sibi tantùm,  
sed & prudenti experto ac impartiali viro appa-  
rentibus causis, cum exigua imò nulla sæpè sit  
misericordia hominem benè dispositum libera-  
re à morte corporis, & præsentì vel valdè pro-  
babili animam & corpus ejus denuò exponere  
periculo) sæcularis Judex non est expertus, quæ  
ars, quæ gratia requiratur ad conversionem in-  
veterati peccatoris, & quod id non semper intra  
tam breve tempus fiat.

*Sol-*

Solvetur Satanas de carcere suo, & seducet gentes (sub finem mundi ad obsequium Anti-Christi) Gog & Magog. Apoc. 20. Sunt populi Tartariæ militaturi pro Anti-Christo.

§. 4tus,

Diversi status & conditiones hominum,  
Conjugati.

Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & sua libidini vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Habet potestatem demonium super eos, Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. Tob. 6. Ita Archangelus Raphaël voluit: ut Tobias non nisi post preces tribus noctibus fusas cognosceret uxorem suam. Et primâ nocte oraret pro dæmonio fugando, Secundâ, ut particeps fieret meritorum sanctitatis & privilegii Patriarcharum. Et tertiâ: ut proles ex uxore susceperet. Cæremoniæ tales non cadunt sub præceptum: merentur tamen reflexionem. Ercertum est, quod felicitas temporalis ac æterna pendeat à Sacramento matrimonii in statu gratiæ sanctificantis suscepto, intentione bonâ pravam excludente libidinem, multisque precibus, & bono delectu præmissis. Sicut e contra idè tam multa sunt infelicia matrimonia quia in statu peccati mortalis, vel purè ex libidinis

dine, aut amore pecuniæ inita sunt, nec genitri utrimque explorati.

Alligatus es uxori, noli querere solutionem. Solutus es ab uxore, noli querere uxorem, si autem acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Cor. 7. Ubi vide plura huc facientia. Mulieres subdita estote viris, sicut oportet in Domino. Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Coloss. 3. Bene quidem advertit, Evam non esse formatam ex capite Adami, ut mulier sciat virum caput esse mulieris. Nec ex pedibus, ut vir sciat se non debere mancipii instar aut ancillæ tractare uxorem, sed ex latere, ut eam habeat sicut thori ita & administrationis domesticæ sociam. Ad virum pertinet officina, laboratorium, musæum studiorum, ad mulierem culina &c.

Subsectio tertia.

De controversiis cum Hæreticis circa matrimonium.

Calvin. l. 4. instit. c. 19. §. 73. dicit esse legem tyrannicam Ecclesiæ prohibentis viro, aliam uxorem ducere priori convictâ de adultério, & Catholicos vocat asinos, sed ille maximus est, audens se opponere universæ Christianæ antiquitati, imò ipsi Christo & Apostolis legem hanc non humanam, sed divinam esse dicentibus. Triumphant multum Hæretici in illo Matth,

Matth. 19. v. 9. quòd non liceat dimittere uxorem nisi ob fornicationem. — Sed *primò* illi frequenter dissolvunt matrimonia etiam alias ob causas. *2do*. Si licet dimittere uxorem ob fornicationem, non licet tamen aliam ducere, nam expressa sunt verba Christi: *Qui dimissam duxerit, mechatur*. Ergo ob fornicationem dimitti tantum potest uxor, sive divortium cum ea institui quoad thorum & cohabitationem, non verò quoad vinculum. Marci 10. v. 11. Simpliciter dicit Christus: *Quicumque dimiserit uxorem & aliam duxerit, adulterium committit super eam*. Et Luc. 16. v. 11. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mechatur*. Et sic simpliciter sustulit libellum repudii à Moysè, concessum ob duritiam cordis Hebræorum. Nec Christus apud Matth. aliter docuit aut docuisse potuit, quàm apud Marcum & Lucam, per quos generaliter & absolute pronuntiavit matrimonium esse insolubile sicut fuit ab initio mundi conditi, & fornicari illos, qui absolute dimittunt, & aliam ducunt etiam ob fornicationem. Apud Matth. l. c. apud Marcum, Lucam dixit totum, hoc confirmat Paulus simpliciter dicens 1. Cor. 7. v. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*. Ergo per solam mortem vinculum matrimonii solvi potest in lege nova, sicut & fuerat ab initio. Et 4. 11. *Iis, qui matrimonio juncti sunt, precipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Inf. 1. Ergo nil superesse conjugibus

gibus quàm divortium vel separationem à thoro, & tam diu aliam non duci posse uxorem vel virum, nisi altero ex conjugibus mortuo. Inf. 2. Ex his verbis *non ego, sed Dominus*. Id esse legem divinam non humanam. Sermo autem hactenus semper est de matrimonio consummato & NB. validè contracto, quia hæc verba *erunt duo in carne una* matrimonium innuunt consummatum. Ratum etiam dissolvi quidem non potest ob fornicationem, sicut tamen Pontifex in votis & juramentis, licet sint juris divini, dispensare potest, ità & in matrimonio rato ob causas magni momenti, cum juxta communem à Christo acceperit potestatem omnem quoad ea, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem & animarum salutem necessaria aut valdè proficua sunt. Nec ex dissolutione matrimonii rati sequuntur incommoda, quæ sequuntur vel sequi possunt ex dissolutione matrim. consummati. Porro *consummatum* significat unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia. *Magnum* enim hoc est *Sacramentum in Christo & Ecclesia*, teste Paulo. *Ratum* significat unionem Christi cum anima per caritatem, quæ conjunctio est dissolubilis, & si propter adulterium matrimonium consummatum dissolvi posset, adulter vel adultera ex suo delicto haberent commodum, & id sanè magnum ad adulteria præberet stimulum. Et quid respondebis Ministelle? si mulier v. g. adultera dicat se idèd à viro suo separari non debere, quia præcepta Dei in vestris principiis servatu sunt impossibilia.

Duo adhuc mihi memoranda incidunt. Primum concernit Catholicos, alterum Heterodoxos. Pudeat eos, qui se Catholicos nominant, quod non vereantur dicere, magnos Principes debere habere concubinas, adeoque adulteros esse, eò quod sit signum ingenii boni, & quando quis vivit contentus cum una, sit mariage d'un bourgeois. O filii tenebrarum! Agones & subulci etiam idem possunt ostendere ingenium. Estne mica ingenii vel honestatis ita loqui & agere Catholicum contra expressum Dei verbum? tales Principes sunt in via directissima ad perditionem æternam, & maledictionem etiam temporalem familiis suis & subditis procurandam, & unde tot mala in variis terris *Delinquunt Reges, plectuntur Achivi.*

Alterum quod attinet, quæro ex Sectariis, an sustineant & ipsi Polygamiam, lege novâ Christi sublatam esse, quia duas uxores non permittunt [ nisi fortè consistorium Lutheranum, ut alicubi factum est, declaret, ut una vocetur uxor, altera Regina ] videntur sentire cum Catholicis, Polygamiam lege novâ sublatam esse. Sed quid jam dicent *von dem theuren vuerthen Mann Martin Luther?* qui in comment. super Gen. dicit Polygamiam in L. N. nullo expresso textu esse prohibitam. Et hinc Principi cuidam Germaniæ alteram permisit dari uxorem, id tamen secretò teneri voluit, ne novo suo Evangelio causaretur scandalum. Contra Lutherum clamat verbum scriptum ac traditum in lege Christi, & ab initio Ecclesiæ usque huc communis sensus

sensus ac praxis. Demum Sectarii dicunt, matrimonium tantum esse civilem contractum, & negant esse Sacramentum contra omnia CC, PP, & illud Ephes. 5. v. 35. *Sacramentum hoc magnum est in Christo & Ecclesia.* In Bibliis corruptis Genevæ impressis Anno 1547. legitur *Christi & Ecclesia.* In impressis ibid. Anno 1564. legitur: *Secretum hoc magnum est, quantum ad Christum & Ecclesiam.* Sic etiam hic textus Pauli Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.* Ubi satis innuit Paulus, quod velit sanctum & honorabile esse in omnibus connubium per servatam thori fidem & vitam exemplarem. A Genev. Anno 1664. & 1605. inquam textus hic ita versus est. *Matrimonium est inter omnes honorabile.* Sic verterunt Apostatae Monachi, quibus plurimum debet rebellis Ecclesiae Christi factio, ut scortationes suas honesto matrimonii pallio obtegerent & excusarent.

*Patres-Matres-Familias.*

**A** Filiis tuis cave, & à domesticis tuis attende.  
Eccl. 32. *Melius est, ut filii tui te rogent, quam te respicere manus filiorum tuorum.* Eccl. 33.  
*Qui parcu virgâ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit.* Prov. 13. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virgâ, non moritur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Prov.

32. *Lacta filium tuum, & paventem te faciet.*  
 Eccl. 30. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: ut non pusillo animo fiant.* Coloss. 3.  
 Ergo medium tenendum, & eodem semper tempore (non mox percutiendo ex præcipite impetu, mox conveniendo & jocando) tractanda proles. Quòd si jam præterea bono ipse exemplo præeas, ex prolibus concives cæli facies, qui finis præcipuus est matrimonii. Omne bonum & publicum & privatum provenit à bona educatione & instructione juventutis. *Omnis cognatio ejus (Tobiae junioris) & omnis generatio ejus in bona vita, & in sancta conversatione permansit: ita ut accepti essent tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Tob. 14. Omne hoc bonum indè provenit; quòd Tobias senior filium suum tam sanctè educavit. Hunc imitare mi Christiane pater, & usque ad mortem da filiis tuis cum eodem documenta sequentia: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe, omnibus diebus vite tue in mente habeto Deum, & cave, nè aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Quomodo potueris, esse misericors, attende tibi fili mi ab omni fornicatione, superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. Quòd ab alio oderis fieri tibi, & ide, nè tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum esurientibus*

entibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege, & consilium semper à sapiente perquire. Tob. 4. Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filii suis, ut cognoscat generatio altera. Filii, qui nascentur & exsurgent, & narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant. Ps. 77. Exultat in gaudio pater iusti, qui sapientem genuit; letabitur in eo. Prov. 23. Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet; fidem negavit, & factus est infideli deterior. 1. Tim. 5. Quia hic in sua hæresi aut gentilismo tam sollicitè instruit proles & servos. Væ tibi coram districto iudice, si non possis dicere: Pater, quos dedisti mihi ( quantum est in me quoad exemplum datum & curam adhibitam ) non perdidisti ex eis quæquam. Joan. 16. Anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi. Ps. 21. Ecce cura principalis PP. MM. familias, ut perfidele suum & liberorum servitium cæli cives multiplicentur. Ad hoc multùm contribuet, si mater verè de se dicere possit illud Eccl. 24. Ego mater pulchra NB. & non cæcæ dilectionis, & timoris, & agnitionis, vi cuius defectus & errata filiorum perspiciuntur, nec excusantur aut negantur. Quomodo matres debeant educare proles ad magna & ardua, & quid omni inordinato affectu propulsato inculcare iis debeant; insigne & documentum & exemplum habent in insigni illa heroïna matre septem Machabæorum fratrum Martyrum; Repleta sapientiâ & NB. fæminea cogitationi masculinum animum inferente. L. 2. Machab.

chab. c. 7. Legi & relegi millies sanè merentur allocutiones hujus heroinæ ad filios suos, dum cute abstractâ assabantur in sartagine ob constantiam in veri Dei cultu. Ex illis allocutionibus parentes quoque discent, quàm parum ipsi ad proles in utero formandas contribuunt. Ex putrido illorum spermate Deus format & componit membra, corporeque organico sic disposito ipse solus ex nihilo sui & subjecti creat animam, & tamen quando Deus prolem talem v. g. ad statum religiosum, vel ad se ex vita hac mortali evocat, parentes & quidem Christiani hanc illam præ se ferentes devotionem, ità circa veritates æternas illuminati putant sibi injuriam fieri, indecenter queruntur &c. Quid jam dices de stulta muliere illâ scilicet matre quæ furit, & imbellem maritum etiam sæpè in furias agit, si filiolus pro merito à Præceptore castigatus sit.

Parentes filiam sponso daturi moneant *etiam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere. Tob. 10.* Demum curent ut cum Davide dicere possint illud Ps. 100. *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus mee, non proponebam ante oculos meos rem injustam, non adhasit mihi cor pravam, sicque meis malum non dedi exemplum.* Dein prædicent illud Aug. Tr. 51. in Joan. monentis: *Unusquisque paterfamilias agnoscat paternum affectum sua familiae se debere. Pro Christo & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur.*

corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam, ita in domo sua Ecclesiasticum, & quodammodo Episcopale implebit officium ministrans Christo, ut in aeternum sit cum ipso.

*Filii, Proles.*

**F**ilii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino. Coloss. 3. Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo. Prov. 1. Qui subsannat patrem, & despicit partem matris suae, effodiant eum corvi de torrentibus [ utpote ceteris rapaciores ] & comedant eum filii Aquila. Prov. 30. Iudicium patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis. Deus enim honoravit patrem in filiis, & iudicium matris exquirens firmavit in filios. Eccl. c. 3. Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam, qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suae exaudietur, qui honorat patrem suum, vita vivet longiore, & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt. In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio matris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne gloriaris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore. Ibid.

## Servi, Ancilla.

Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicitate cordis timentes Deum, scientes, quod à Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite. Coloss. 3. Sæpè inculcanda est his hominibus bona intentio, & methodus augendi merita apud Deum, Domini, quod justum est & æquum, servis præstate scientes, quod & vos Dominum habetis in celo. Coloss. 4. Per tria movetur terra, & quartum non potest sustinere. Per servum, cum regnaverit, per stultum, cum saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta, & per ancillam, cum fuerit hæres Domina sua. Proa. 3. Filius honorat patrem, & servus dominum, si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus? Malach. 1. Ecce, sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancilla in manibus domine sue: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. Ps. 122. Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati, servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Joan. 8.

## Vidui, Vidua.

Innegavi, quod volebant pauperibus, & oculi vidua expectare feci. Job. 31. Viduam ejus  
(viii)

(viri probi) *benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.* Pl. 131. *Nonne lacryma vidua ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? à maxilla enim ascendunt usque ad calum, & Dominus exauditor.* Eccl. 35. *Causam vidua non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. Nunquid super his non visitabo? dicit Dominus Jer. 5. Hac vidua usque ad annos 84. qua non discendebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Luc. 2. *Viduas honora, qua verè vidua sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo, qua autem verè vidua est & desolata, speret in Deum, & instet orationibus, nam que in deliciis est, vivens mortua est.* Timoth. 5. *Non decet Christianam matronam multò minùs viduam interesse spectaculis saltibus aliisque vanitatibus. Vidua tanquam speculum suum intueantur Juditham Jud. 8. & Annam Viduam Luc. 2. Quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat tantum in Domino, beator autem erit, si sic permanserit.* 1. Cor. 7.

*Calibatus cum voto perpetua castitatis.*

**C**oelibatus imprimis status non est, si perpetuæ castitatis voto te non adstringas, & si purè ex amore libertatis in eo maneat. Periculum est, ut improvise laqueo cum omni astutia

tia tua irretiaris, & si ad statum strictè talem requiritur, ut ex eo ad alium, nisi per dispensationem supremi Christi in terris Vicarii transmutare non possis. Cœlibatus quidem cum voto perpetuæ castitatis annexo hoc sensu status non est. Est tamen professio à primis Christianæ legis temporibus inchoata; & exin usque ad nos laudabiliter continuata, qui ex harâ Epicuri, suburbii Gomorrhæ, ipsoque fœtente Pentapoleos lacu suam doctrinam hauriunt, virginitatem abominantur, non autem, qui sanæ rationis sequuntur ductum, cum eâ præeunte etiam virginitas in gentilismo fuerit in honore. Jam si ad verbum Dei, quod nec fallere nec falli potest, reflectis; invenies *simile esse regnum calorum* [ hoc est Ecclesiam Christi in terris militantem ] *decem virginibus*. Matth. 15. Aliquæ ex his sunt fatuæ, quæ terrenis paulatim inclinantur; *Alia prudentes*, & *hi sunt*, qui cum *mulieribus* [ sive, cum de utroque sexu intelligi debeat, à carnali concupiscentia ] *non sunt co-inquinati*, *virgines enim sunt*, *hi sequuntur agnum*, quocunque ierit. Apoc. 14. Præclari reformatores verbi divini fuere nostrorum temporum Hæretici, qui virgines Deo sacras tribus etiam substantialibus religionis votis Deo alligatas ad siliquas porcorum, & carnales hominum cum bestiis communes voluptates amandarunt. *Virginitas* teste Ambrosio l. 1. de Virg. è *calo* accersivit, quod imitaretur in terris, nec immeritò vivendi sibi usum quaesivit in *calo*, qua sponsam, sibi invenit in *calo*, hac *unbes aëra*, *sydera* aque trans-

transgrediens verbum Dei in ipso sinu patris invenit, & toto hausit pectore, non meum est istud, quoniam quæ non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in calo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Quis igitur neget hanc vitam fluxisse de calo, quam non facile invenimus in terris, nisi postquam Deus in hac terreni corporis membra descendit. Si tibi Hæretice aut homo voluptuarie non sufficit SS. PP. autoritas, & constans ab initio æræ Christianæ praxis, & ad solum scriptum verbum Dei denuò provocas. Quid diceres ad caput 1. ad Cor. 7. ubi Apostolus ex professo de hac materia agit: De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do. Volo vos omnes esse, sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet à Deo pro diversitate vocationis. Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego, qui sine uxore est, sollicitus est; quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi; quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu, quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, & quomodo placeat viro. Qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, meliùs facit. Si meliùs facit, ergò in cœlibatu debet posse servari puritas animi & corporis, quam velut chymæram intuentur Sectarii.

## Subsectio quarta.

*Circa controversiam de cœlibatu, & de notâ vera  
Ecclesie ex consiliis Evangelicis.*

**E**X jam dictis infertur, quòd Cœlibatus cum voto castitatis perpetuæ sit status seu professio secundùm se perfectior matrimonio, & hanc continentiam suadet, non præcipit Christus Matth. 19. dicens: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum calorum.* (Non physicè sed moraliter, sicut moraliter non physicè præscindendus pes manus scandalum pariens) *qui potest capere capiat.* Hinc August. l. de sancta virginitate c. 21. *Nos secundùm Scripturarum sanctarum fidem sanamque doctrinam nec peccatum esse dicimus nuptias, earum tamen bonum non solum infra virginalem, verùm etiam infra vidualem continentiam constituimus.* Verum est melius esse nubere quàm uri, ut Apostolus monet. Sed verum etiam est, posse per gratiam Dei carnales tentationes vinci, & ibi quisque ad indolem ac vocationem suam attendat necessum est. Certè non per solum matrimonium satiatur carnalis pruritus, ut patet in adulteris omnibus dicentibus præcepta Dei de hac continentia esse servatu impossibilia. Et magnus ille Angliæ cancellarius Thomas Morus falsus est majores se ab inito matrimonio, quàm ab ante carnis sensisse tentationes. Difficultates agnoscit examinans, quid liceat & non liceat

liceat juxta sanam Theologiam conjugibus, & in quibus sint periculis, inter quos amor solidus & solida æstimatio mutua non est, imò sæpè animi aversio rixæ dissidia perpetua. Cùm ergo Christus & Apostoli Christi doctrinæ inhærentes præferant cœlibatum matrimonio. Quo jure carpunt Lutherus, Calvinus aliique Sectarii Ecclesiam? quòd sacris majoribus ordinibus annexum sit votum continentiæ, & quòd in Ecclesia Catholica nos (verba sunt Conc. Chartag. 2.) quoque custodiamus, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas. Sanè si *to crescite & multiplicamini*, Gen. 1. non tantùm fuisset benedictio, quam avibus quoque dedit Deus; vel non tantùm præceptum pro illo tempore, quò terra erat inanis & vacua hominibus, vel non tantùm præceptum ad genus humanum in communi, sed singulos in particulari obligaret homines, ergo Elias, Jeremias uterque S. Joannes & D. N. J. C. (qui non venit solvere leges divinas obligantes, & nec unum apicem ex iis tollere præter ceremonias & oblationes, quæ impositæ erant tanquam figuræ Messiæ venturi) violassent hoc divinum præceptum. Doctrina Dæmoniorum est 1. quæ absolutè & non liberè cœlibatum eligentes ad eum obligat, & magis dæmoniaca fuit hæresis illa, quæ fornicationes non matrimonia permittebat. Dum hæc scriberem, vidi litteras à Parocho quodam Catholico ad unum ex nostris exaratas cum inclusis alicujus prædicantis Calvinistici, in quibus ministellus iste antiquitatem doctrinæ suæ probabat

ex Apostolis, eò quòd hi Apostolicum munus obierint viventes cum uxoribus, sicut & ipse & cæteri prædicatii. O insulsum caput! ergo ab uxoriis amplexibus puritatem doctrinæ inferis Apostolicæ? nunquid Christus Matth. 19. dicit claris verbis? *Omnis, qui reliquerit domum, fratres, aut patrem aut matrem, aut NB. uxorem, [illâ scilicet in separationem thori consentiente] centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Si uxorem sive maritales amplexus deserentibus Apostolis eorumque sequacibus amore Dei tantam promisit Christus mercedem. An non ex hara porcorum venit, Apostolos ad eò ad consilia Evangelica sectanda à Christo incitatos post acceptum Spiritum Sanctum, & susceptam in se totius mundi conversionem necdum usu conjugii & carnali copula voluisse abstinere? quòd tot post ipsos fecisse Principes nobiles divites ex tota retro antiquitate perspicuum est. Legitur, quòd Apostoli secum duxerint mulieres, sed quomodo inde sequitur eos maritaliter cum iisdem vixisse? piæ fœminæ victum iis subministrabant, & quoad huc spectantia quasi famulæ interviebant. Sicut idem Luc. 8. de ipso Christo legitur, & ipsa verba, quòd Apostoli *mulierem, sororem* circumduxerint, satis indicant, quòd non ad usum conjugii, sed pro necessariis subministrandis eas penes se habuerint. Lege totum Cap. nonum 1. ad Cor. & videbis ex contextu clarè, quòd per hæc verba 1. c. v. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem, sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli?* Paulus

luis nil aliud innuere voluerit, quàm quòd ipse  
æquè ac alii Apostoli posset secum ducere mu-  
lieres, sorores, quæ ipsum alerent, & necessa-  
ria subministrarent, & probat hoc à plantante  
vineam, qui de ejus fructu edit, à Pastore, qui  
de lacte gregis manducat, à bove cui tritुरanti  
non ligatur os, & subdit. *Si nos vobis spiritu-  
alia seminavimus, magnum est, si nos carnalia  
vestra metamus, hoc est, de labore manuum  
vestrarum vel mediis vestris vivamus. Si alii  
potestatis vestre (hoc est bonorum vestrorum)  
participes sunt, quare non potius nos? sed non usi  
sumus hac potestate.* Et Paulus eà non usus est,  
ut nulli esset obnoxius, & majori libertate di-  
cenda dicere, & Evangelium propagare posset.  
Jam suprà ex 1. Cor. 7. vidimus, quòd Paulus  
optet, *velit esse omnes sicut se, sive à mulieribus  
abstinentes, cò quòd, qui sine uxore est, sollici-  
tus sit, quæ sunt Domini, & cum eodem Cap. di-  
cat: Bonum est homini mulierem non tangere.*  
Quantò magis id conveniet Apostolis, viris Apo-  
stolicis, Sacerdotibus? O quàm verè idem Pau-  
lus 2. Tim. 3. prædixit: quòd *in novissimis die-  
bus erunt homines se ipsos amantes, elati, superbi,  
NB. incontinentes, & voluptatum amatores magis  
quàm Dei.* Et quis micam honestatis & inge-  
nui pudoris habens non legat cum horrore &  
indignatione in Epist. ad Albertum Archip. Mo-  
guntinum hæc verba excuculati Lutheri? *Nisi  
Deus miraculum faciat, & ex viro Angelum, non  
video quomodo sine offensa & ira Dei possit manere  
sine conjuge, & horribile est, si absque uxore in-*

*veniatur in morte.* O fœtidum non Christi pa-  
 scentis inter lilia, sed Cacodæmonis Aposto-  
 lum, qui votis religiosi statûs obstrictus mo-  
 niali pariter his votis obstrictâ usus est tanquam  
 conjuge, & per hoc offensam & iram Dei putat  
 se evitaturum in morte. Edic homo spurcissi-  
 me, si horribile est mori sine uxore, an non  
 idem fatum obveniet mulieri, si moriatur sine  
 marito? & si ob insuperabiles carnalis concu-  
 piscentiæ motus tu putas hominem, nisi Ange-  
 lus fiat, sine uxore vivere non posse. An non  
 sive viduus sive vidua carnalibus vivente con-  
 juge amplexibus assueti maximè in vigore ad-  
 huc ætatis novum debebunt inire connubium?  
 cùm illi sanè majoribus plerumque tentationi-  
 bus sint obnoxii, quàm qui in cœlibatu in ejus-  
 modi amplexibus non vixerunt. Lege autem  
 non tantùm in novo, sed & veteri testamento,  
 quomodo vidualis continentia honoretur. De  
 Juditha vidua c. 16. hæc habentur: *Erat autem  
 virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret vi-  
 rum omnibus diebus vite sue, ex quo defunctus est  
 vir ejus.* Vixit autem centum quinque annis.  
 Inter Lutheranos & Calvinistas multi sunt vidui  
 ac viduæ, an omnes dicemus scortari? si denuò  
 non ineant conjugium. In Cap. jam citato ex  
 libro Judith. legis eam vicissè carnem suam ora-  
 tione, jejunio, perpetuo cilicio, hæc imitetur  
 carnis tentatus concupiscentia. Interim Eccle-  
 sia nulli votis nondum ligato prohibet nubere,  
 sed iis qui majores sacros ordines ultrò suscepè-  
 re. Nec flagitia parit cœlibatus ipse, sed otium,  
 ebrio-

ebrietas, periculosa conversatio, sicut matrimonium non parit adulteria, sed similes quoque excessus. Mendacium etiam apertum est Augustanæ confessionis & centurionum, quod primum ante 400. annos in Germania introductus sit cœlibatus Sacerdotum. Patet contrarium ex Conc. Aquisgranensi, Moguntino, Wormatiensi de cœlibatu clericorum in Germania habitis. Wormatiense habitum Anno 868. Can. 9. Inter cætera secundum antiquos canones habet hæc formalia: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus.* Ob munia scilicet, quæ habent orandi, prædicandi, sacrificandi, & Sacramenta administrandi. Quis in Ecclesia Græca olim mos fuerit. V. infra Tit. *Episcopi.* Quid multa? idem sagaciores viri ex sectariis congruere judicant, imò in apologia Aug. Confess. Tit. de conjugio Sacerdotum dicitur: *Virginitas donum est præstantius conjugio.*

*Nota vera Ecclesia ex statu religioso.*

Mirum est, quomodo Sectarii & maximæ eorum columnæ, excuculati scilicet Apostatæ consilia Evangelica à Christo data, & claros de iis textus obscurare aut detorquere conentur. V. g. Dum Matth. 19. à v. 15. & Marc. 10. quidam interrogasset Christum: *Quid faciam? ut vitam æternam percipiam,* & Christus ei respondisset: *Serva mandata,* eaque ex Decalogo explicasset, isque reponeret, se hæc

omnia servasse à juventute sua, ait illi **JESUS**, si vis perfectus esse, vade, vende qua habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me. Kemnitiuſ audeſ effutire, hæc non seriò dixiſſe Chriſtum, ſed illudere voluiſſe adoleſcenti, eò quòd ja-ctàſſet ſe præcepta Dei omnia obſervàſſe, quæ tamen ſervatu ſunt impoſſibilia. O miſer & maligne Hæretice! Chriſtus & seriò dixit, ut ſervaret præcepta, nam ad longum ei explicavit, & Matth. 11. dicit; *Tollite jugum meum ſuper vos, jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*, ſive obſervatio legis cum mea gratia, & quomodo potuit ei illudere tanquam mendaci ja-ctabundò? Quem dicentem hæc omnia obſervavi, *Jefus intuitus dilexit eum* (non ſanè obmendacem, ſed candidum genium. Nam Phariſaicum ac ja-ctabundum agendi loquendique modum ſemper acriter inſectatus eſt) & dixit ei, *unum NB. tibi deeſt*, (ſcilicet præter mandatorum obſervationem perfectiùs vitæ genus) *vade, vende qua habes. &c. & ſequere me.* Marc. 10. v. 21. Et quid clariùs quàm illa verba Petri Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* & illa verba Chriſti à v. 28. *JESUS autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſua, ſedebitis & vos ſuper ſedes 12. judicantes 12. tribus Iſrael.* In ſedibus, ait Bern. quies imperturbata eſt, in judicio dignitatis eminentia commendatur. *Quis ſecularis honor in tanta ſublimitatis comparatione non vileſcat? Judicent nunc,*

*Et præjudicent superbia filii, cum Rege sub sedeant, qui sibi latera aquilonis elegit, transibimus, Et ecce non erunt.* Postquam hanc prærogativam ad-dixit Christus consilia Evangelica sectantibus subjungit: *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios aut agros propter nomen meum* [his verbis clarè indicatur paupertas voluntaria, mors civilis erga carnem & sanguinem, & voluntaria abstinencia à carnalibus amplexibus, adeoque castitas] *centuplum accipiet, Et vitam eternam possidebit.* Quòd autem suprà citato adolescenti dixerit: *Veni, Et sequere me, & alibi, tollite jugum meum crucem super vos post me,* per hoc denotatur obedientia ipsi & ipsius loco constitutis præstanda. Et quid plus est religiosus status quàm hæc tria Deo dicata, voluntaria paupertas, castitas & obedientia? equidem teste eodem Salvatore nostro non omnes capiunt verbum hoc, sicut & adolescens, qui mandata observaverat, non capiebat, eò quòd multas haberet possessiones, & idèò tristis abiit. Capiebant tamen Apostoli, & eorum successores de sæculo in sæculum in orbe toto, in vastis Ægypti Palæstinæ &c. solitudinibus, innumeri Principes, nobiles, divites, summi, imi, medioxi-mi utriusque sexûs ab initio Christianæ legis propagatæ per orbem usque huc. Nec est possibile, ut illa non sit vera Ecclesia, in qua adèò perfecta staret consiliorum Evangelicorum observatio, & tot præterea in diversis religiosis ordinibus hæroicæ erga proximum ad Dei ma-jorem

jorem gloriam vigent caritatis exempla, v.g. redemptio captivorum ex mancipatu Barbarorum sui etiam ipsius oblatione, patientia laborum, ærumnarum, cruciatuum, ipsius mortis, & mille tormentorum contemptus purè pro Christi fide in ultimis terræ partibus apud homines feris similes propagandâ. Et quomodo possibile est? ut illæ sectæ, quæ à religiosis v.g. Apostatis sumpsere initium, consilia Evangelica sustinent esse figmentum, (cùm præcepta Dei servari ne quidem possint) & fidem solam sufficere sine bonis operibus volunt, illæ inquam sectæ D. N. J. C. autorem, ejusque Apostolos, & horum in primis sæculis successores habuerint propagatores. Si autem nec autorem Christum, nec propagatores Apostolos eorumque primis sæculis successores habent, de maligno sunt. Nos pergamus ad elevationes pietatis in Deum ex ipsis religiosi statûs qualitatibus.

*Status Religiosus.*

**E**cce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini, qui statis in domo Domini, in atrii domûs Dei nostri, in noctibus (cantantes in choro) extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum. Pl. 133. Narrabo nomen tuum (verbo & exemplo) fratribus meis, in medio Ecclesia laudabo te. Pl. 21. Melior est dies una in atrii super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei magis quàm habitare in tabernaculis peccato-

*rum. Pl. 83. Dedit illis regiones gentium, (v. g. Benedictinis in prioribus sæculis) & labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant. Pl. 104. Non omnes capiunt verbum hoc, quod tu religiose felix sis in vita hac habens in ea centuplum spirituale quoad gratias & consolationes internas, & temporale quoad victum vestitum sine ulla à te impensa cura, & tot domos ac bona, quot ordo tuus possidet; in altera verò vitam æternam, non simpliciter, sed cum immenso, quem tibi comparare potes, coronarum æternarum augmento. Ego hæc considerans ejusmodi mihi ideam formo. Totum humanum genus, moraliter loquendo, à provida Dei manu quasi conclusum est in hoc mundo, quasi in uno amplo palatio. Domum ejus superiorem, sive primarium & altius ædificium incolunt religiosi quasi ephœbi camerarii fruentes maximis favoribus & gratiis suæ divinæ Majestatis, qui sine sollicitudine vivunt ex laboribus aliorum. Inferior domus in varias alas divisa incolitur à sæcularibus summæ, infimæ & medioximæ conditionis, quos omnes ferit maledictio Adæ intentata. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vite tue, spinas & tribulos germinabit tibi. Gen. 3.* Sive phyticos sive morales, quibus cujuscunque demum statûs homines, & sæpè magis magni in hoc sæculo, quàm alij subjecti sunt in hac miseriarum valle. Hoc tantùm cave mi religiose, ne & te aliquando terribile illud fulmen feriat.*

*In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini, II. 26.* Quia è caelo exclusus, tot præ innumeris aliis cumulatus à Deo favoribus, in inferno centuplo etiam plus præ illis in æternum cruciaberis, & quidem eò magis, si alios præterea à via recta verbo & exemplo abduxeris, ut prò dolor fecère Lutherus aliique à fide & ordine religioso Apostatae.

*Unde ruina & unde conservatio religiosi ordinis.*

**R**uina est ignorantia & neglectus disciplina, conservatio est disciplina, & scientiarum competentium indefessum studium omne vitium eliminans, quia tempore Lutheri quoad hæc duo defectus erat, tantam quoque cladem passa est Ecclesia. Tom. 6. apud Mesnil l. 3. doctr. & discipl. Eccles. pag. 603. Memoratu digna est epistola, quam Carolus M. Imp. & Rex Franciæ scripsit ad Metropolitans Episcopos & Abbates; in qua litterarum studium, ut in monasteria religiosorum inducatur, summo opere commendat. Inde excerpti sequentia.

*Consideravimus utile esse, ut Episcopia & Monasteria, præter regularis vite ordinem, etiam in litterarum meditationibus, docendi studium debeant impendere; nam cum nobis in his annis à nonnullis monasteriis sæpius scripta dirigerentur, cognovimus in plerisque eorundem & sensus rectos & sermones NB. incultos, quia quòd pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius propter negligentiam discendi lingua inerudita exprimere sine repre-*

reprehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne forte sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque & multò minor esset in SS. Scripturarum ad intelligendum scientia, quamobrem hortamur vos litterarum studia non solum non negligere, verum etiam humillimè & Deo placitè intentione ad hoc etiam certatim discere, ut faciliùs & rectiùs divinarum Scripturarum mysteria valeatis penetrare, qua unusquisque legens tantò citiùs spiritualiter intelligit, quanto prius in litterarum magisterio plenius instructus fuerit. Tales verò ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem & possibilitatem discendi & desiderium habeant alios instruendi.

Cedro lauroque digna verba tanti Imperatoris, qui & idèò publicam scholam in palatio suo instituit.

*Religiosi Ordinis tui.*

**Q**uisque in vocatione sua permaneat. 1. Cor. 7. & dicat: *Hec requies mea in seculum seculi. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Ps. 133.* Gratia vocationis meæ semper cooperaturus, nec per hoc, quod mihi in corde præ cæteris sit ordo, ad quem à Deo vocatus sum, alios despiciam religiosos ordines. Econtra venerationem debitam erga eos in corde meo jugiter fovebo, quia omnes consilia Evangelica sive Christianæ perfectionis apicem profitentur, & à Cardinale Spfondrato jure *sanior orbis pars* non obstantibus aliquot discolis vocitantur. Hoc prin-

principium ut teneam, à religionis incensabilis docuit me mater mea Societas JESU. Rogo autem Deum indies, ut me & commilitones meos ex eadem Ignatianâ cohorte suâ gratiâ confortet in his tribus: 1. Condignâ vocationis tam sublimis æstimatione. 2. Indefesso solida occupationis, & mutuæ caritatis studio. 3. Genuino animarum zelo, & heroicâ in adversis fortitudine.

*Pro primo militant sequentia. Divinorum omnium diviniſſimum est cooperari in salutem animarum, & si quid præstantius esset, hoc utique Dei filius nos docuisset. Hinc Angelus Tutelariorum alicujus bubulci, pro quo Christus mortuus est, nobilius habet officium, quàm Angeli, qui præstant astris, & vastissimos girant cælos, & primarii Regum Ministri, qui regna orbemque totum gubernant in- & evertunt. Condoleo & compatior viris sive in toga sive in sago clatis, & omnibus mundi hujus Principibus sive Tiarâ sive coronam portent. Si præmium suæ animæ propriæ, & animarum subditorum sibi subditorum ad æquam lancem non expendant, curamque istam rebus omnibus non anteferant. Hoc enim negligentes, utcumque magni videantur in oculis suis, & magna in oculis mundi videantur agere, in oculis cælitum crepundia tractant, nihilque verè & propriè solidi.*

Hoc vitæ religiosæ genus utique tractat solida, & Deo cordi est, quod ex primæva sui institutione & principali intentione salutis perfectio-

fectionique propriæ & alienæ vacat. Et pro primo tot media per varias spirituales exercitationes ac instructiones, pro secundo tot & talia habet ministeria: ut, quæcunque excellentia dicendi, docendi, conversandi, &c. talenta habeas, fateri tamen debeas, quòd respectu sublimium adeò ministeriorum ut oportet peragendorum sis minùs habens.

*Secundum* inculcant sequentia: Otium est pulvinar Diaboli. Diabolo omnem tentandi occasionem eripit se solidè juxta institutum suum occupans, & accumulatur indies thesauros pro aternitate. *Fratres mei carissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea sic state in Domino.* Philipp. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Ephes. 4. *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Ps. 67. *Ex diversis terris, geniis, educationibus de regionibus congregavit eos à solis ortu & occasu ab aquilone & mari.* Ps. 106. Unius sensùs, cordis, nobiles, ignobiles, plerumque liberaliter educatos & scientiis debitis imbutos.

*Tertium* docent sequentia: *Plantati sunt in domo Domini, in atris domus Dei nostri floribunt* (sub S. P. N. jam tum erant 12. Provinciae) *adhuc multiplicabuntur* (in orbe utroque) *in senectà uberi* (ob primævum in iis permanentem spiritum) *& benè* (inter persecutiones) *patientes erunt, ut annuntient.* Ps. 91. *Evangelium per orbem totum usque ad finem mundi. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines*

*fines orbis terra verba eorum.* Rom. 10. Et continuò exit non per adactos vi voti quarti Professorum, sed meros, volones, quorum plurimi ob candidatorum copiam desideriorum ac votorum suorum ne quidem fiunt compotes. Per hos Societas extendit palmites suos usque ad maria [ & ultra maria ad ultimos orbis angulos ] & usque ad flumen [ incognitum & postremum ] propagines ejus. Pl. 79. S. P. Nostro ità inhaerit persuasio ordinem suum à Societate JESU nominandum ex lumine, quod ex meditatione de duobus vexillis & regno Christi hausit in *Manesana specu*; & ex visione, quam habuit *alla sterta*, ut diceret sibi certum esse, quod Deus sic vellet. Sed NB. Christus ibidem dicens; *Ego vobis Romæ propitijs ero*, apparuit crucem bajulans, & lacrum nomen suum, quod pro armis dedit gentilitijs, tres habet subjectos clavos ad significandum. Quòd tale insigne habentibus non tantùm velut mel suave esse debeat dulce nomen Jesu, sed arridere etiam debeant clavis adversa, & Crux Christi bajulanda sit jugiter. Unde [ ut Anno 1737. dicebat ad PP. nostros congregatos Summus Pontifex ] dignoscatur genuinus discipulatus JESU Christi juxta illud Joan. 15. *Si me persecuti fuerint, & vos persequentur.* Æstimationem vocationis meæ & solatium præterea in me augent hæc tria. 1770.  
 Quòd Apostolorum Principem Ecclesiæ que petram S. Petrum destinârit Deus ad curandum ex vulnere S. P. Nostri circa idem ferè tempus globo impetitum, quo Lutherus excommunicationis

cationis fulmine ictus est. 2do. Quòd eo tempore in orbem à Deo inuenta sit Societas, quo tempore & ignorantia erat apud Catholicos, hæresis exsurrexerat, & terræ gentilium in utraque India detegebantur; fœlicique sanè augurio per majores nostros ignorantia propulsata sit apud Catholicos, ardorque in usu Sacramentorum, aliisque devotionis solidæ exercitiis reaccensus, frœnata hæresis, gentiles innumeri ad Christi Ecclesiam conversi.

3tium. Mihi magnum solatium est in vita & exit, ut spero, in agone, quòd Societas nostra minima, sicut in primis impressis thesibus Romæ propugnavit, ita & deinceps invictè propugnârit Mysterium Immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ, adeoque ipsa apparuerit Venerabili Martyri Martino Gutierrez pallio suo totam Societatem protegens. Hujus præsidio freti pergite fratres mei carissimi evangelizare verbum Dei ringente orco & perverso mundo obstrepente. Dominus [sub patrocinio benedictæ Matris suæ] dabit verbum evangelizantibus virtute multâ. Pl. 67. Potest etiam illud Eccl. 3. *Fili sapientia, Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia & dilectio*, applicari Societati, & designari in eminenti quodam gradu scientia, virtus, obedientia, & caritas erga Deum & proximum, collegam & externum.

*Sacerdotes.*

*Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes*

tes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 1. Petr. 2. Quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum. Ad eloquium vestrum corda eorum erigite. Judich. 8. Vade, ostende te Sacerdoti. Luc. 5. Sacerdos [ viso à latronibus lauciato ] prateriit. Similiter & Levita, Samaritanus misericordià motus est. Luc. 10. Sic Sæculares sæpè virtute præstant præ Sacerdotibus & Clericis, & nullum majus teste S. Greg. M. præjudicium tolerat Deus, quàm à malo Sacerdote. Sacerdotes tui inducantur justitiam, & Sancti tui exultent. Pl. 131. De Sacerdote in statu peccati mortalis ad altare accedente jure dicere potest Christus: Ecce appropinquavit, qui me tradet. Matth. 26. Terribilis est visio, quam desuper habuit S. Brigitta apud Hectorium in suis exercitiis. Corona sive circularis figura, quam Sacerdos in capite rasam gestat, index est Regiæ dignitatis. Hinc vel maximè ejus cordi infixum hæere debet illud ad Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali peccatore, & non obediatis concupiscentiis ejus. Fecit nos ( scilicet Sacerdotes ( regnum ) quod per verba consecrationis ipsi quasi dominatur Deo ) & Sacerdotes Deo & Patri suo. Apoc. 1. Hinc S. Ignatius Martyr in Ep. ad Polycarpum dicit: quod Sacerdotes sint divinorum bonorum œconomi, socii Dei, atque coronati soteris, tutelaresque divi. Quò major dignitas, eò severius judicium. Miraculum insolitum erat; quòd Josue solem in cursu suo stiterit obediante Deo voci hominis Gen.

Gen. 10. Sed majus multò & magis incomprehen-  
sibile, quòd Sacerdos paucis prolatis verbis  
solem justitiæ Christum ipsum sistat sub specie-  
bus panis & vini. O quanto opprobrio ac tor-  
mento Sacerdoti damnato, in æternum erit cha-  
racter ille indelebilis & dignitas Sacerdotalis!  
væ Sacerdotibus! quos ferit illud Greg. M.  
*Quomodo nos vitam corrigere valemus alienam?  
qui negligimus nostram curis secularibus intenti.*  
*Plorenus Jeremie lacrymis, quomodo obscuratum  
est aurum? mutatus est color optimus? dispersi  
sunt lapides sanctuarii in capite omnium platea-  
rum? aurum quippe obscuratum est, quia Sacer-  
dotum vita quondam per gloriam virtutum clara,  
nunc per actiones infimas ostenditur reprobata. Co-  
lor optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habi-  
tus per terrena, & abjecta opera ad ignominiam  
despectionis venit. Lapidem sanctuarii non sume-  
bantur in summi Sacerdotis corpore, nisi cum San-  
cta Sanctorum ingrediens in secreto sui conditoris  
apparebat. Nos sumus lapides sanctuarii, qui  
apparere debemus in secreto Dei, id est, nunquam  
in extraneis actibus videri. Sed dispersi sunt la-  
pides sanctuarii in capite omnium platearum, quia  
hi, qui per vitam bonam & orationem intus sem-  
per esse debuerant, per vitam reprobam foris va-  
cant.* Et quod dolendum magis, quando jam  
ejusmodi Sacerdos sive in urbe sive in pago est,  
qui scandala publica causat, sive mercaturam  
exercendo, sive Veneri aut Bacho in publicis  
popinis litando, sive rixas, jurgia terendo, sive  
ex ambone insulsa, maledica, detractoria loco

H

docti-

doctiois sacrae eructando, sive efferatae instar bestiae verberibus, pugnis etiam inter chartarum lusus, aut saltus sibi subiectos alioque tractando, sive Sacramenta variis modis indignè & prorsus indecenter administrando. Illi qui quantocumque scandala eiusmodi ex officio deberent tollere, id vel nescio ex quo metu aut oscitantia negligunt, vel accusatorem aliaque juris adminicula deesse queruntur. Equidem contra juris ordinem non oportet procedere, nec inauditum, aut non convictum condemnare, sed ubi vita scandalosa Sacerdotis nimis quam manifesta est omnibus in vicinia, Zelo Dei animarumque salutis secundum scientiam armatus iudex facile inveniet viam etiam secundum juris ordinem publicam famam notum corrigendi & compescendi. Si ipsa remora injicitur ob collisionem inter potestatem Ecclesiasticam & laicam, vel quia domus correctionis, inclusionis pro scandalosis presbyteris non sunt in patria, ipse nihilominus urgere debet, & facere quod potest. Deus autem severe puniet eos, qui in causa sunt, quod minus scandala eiusmodi publica cum vilipendio Ecclesiae Catholicae non tollantur.

*Episcopi.*

*Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Act. 20. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

*siderat*, id est præclarum & ita arduum, ut teste Trid. Conc. etiam Angelicis humeris sit formidandum. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum* ( quomodo hoc sit intelligendum V. infra ) *sobrium, prudentem, ornatum,* ( scilicet honesto habitu ac talem personam decente. Vel, ut Hieron. vult, moribus compositum, servantem decorum in incessu, habitu, sermone, & omni motu ) *pudicum, hospitalem, non vinolentum, non percussorem* [ in domiris animi motibus obnoxium ] *sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed sua domui bene præpositum* ( ut scilicet redditus Episcopales bene administrantur, debita non contrahantur, & omnia in domo Episcopali ordinatè fiant ) *filios habentem* [ NB. non post Episcopatum assumptum generantem, sed si quos in prævio legitimo conjugio genuit ] *subditos sive mo- rigeros & bene educatos cum omni castitate, id est perfectâ puritate.* *Oportet autem & testimo- nium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* 1. Tim. 3. Quibus scilicet bono exemplo præluceat & præluxit. Ecce conditiones hinc loci exigit Apostolus in Episcopo decem affirmativas, & sex negativas, quas benè perpendere debet, & qui Episcopatum non propter bonas opes, sed bonum opus desiderat, & illi, qui tanquam patriæ Patres & Diœceleos aut Cleri in Cathedralibus Ecclesiis primores jus Episcopum eligendi habent, eò severiorem districto iudici redditori rationem, quò magis aut amore lucri, aut livore contra hunc illum aut alio inordinato af-

fectu ducti bonum commune, spirituale, & temporale negligunt. Scio Episcopum quendam in certa ditio-  
ne morti proximum iteratò ingeminâsse, valdè dubiam sibi videri salutem  
multorum Episcoporum in eadem ampla ditio-  
ne aut natione, eò quòd vel ditandis familiis,  
si Duces nati non sunt, toti intenti essent, &  
quæstio sit, an non tantùm de bonis Ecclesiæ,  
sed & subditorum expensis acquisitis ità dispo-  
nere possint; vel instar aliorum sæcularium  
Principum clamoris venationibus aulæque mag-  
nificentiâ ac pompâ distenti Episcopale ipsi mu-  
nus non administrant, vel ex defectu bonæ re-  
dituum administrationis & malâ ac profusâ, ubi  
esse non deberet, nummorum applicatione de-  
bita contrahant ex post non solvenda, vel sub-  
ditos habeant durius, debitamque justitiæ cul-  
turam negligant, vel demum non castè vivant.  
Occasione hujus ultimi puncti explicandum ve-  
nit, quod suprâ ex Apostolo allatum est, Epi-  
scopum scilicet debere esse *unius uxoris virum*,  
Pro quo ritè intelligendo scire oportet, quòd  
ob defectum cœlibum, qui muneri Episcopali  
vel Pastoralis apti essent, ordinati fuerint in pri-  
mitiva Ecclesia etiam conjugati, sed non nisi Mo-  
nomagi sive unius uxoris viri, non verò biga-  
mi, sive qui uxore primâ mortuâ duxissent se-  
cundam, & hi Monomagi post susceptos sacros  
ordines conjugii usu abstinebant. Postmodum  
tamen Græcis ob incontinentiam indulcum fuit,  
ut uxorati ante susceptos sacros ordines in usu  
conjugii permanerent. Nunquam verò con-  
cessum

cessum fuit, ut jam ordinato novam liceret uxorem ducere. Multò autem certè damnabilius erat & est uti pellice. Et revera ad æternam salutem Episcopi eò magis necessarium est exemplum bonum in hoc & supra ab Apostolo requisitis punctis, quò major in ipso vi characteris & statùs Episcopalis, quàm aliis Sacerdotibus imò & religiosis requiritur perfectio. Hi enim vi professionis suæ tenentur tendere ad perfectionem. Episcopus autem debet perfectus esse. *Quisquis Sacerdoti jungitur* teste Greg. hom. 17. in Lucam, *quasi ex salis tactu aeternæ vitæ sapore condiri debet.* Quantò magis domesticis & aliis subjectis id evenire debet, dum junguntur vel conversantur cum Episcopo. Quàm in verus jam ordo est! pergit idem Greg. l. c. *quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, & quia eo ipso, quo cæteris prælati sumus, ad agenda qualibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum, locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.*

O Deus bone Christe Domine Pastorum Pastor, da, ut ubique & in hac ditioe ac urbe NN, cui NN, Episcopus præest, verificetur illud 1. 2. Machab. c. 3. Quòd civitas habitetur in omni pace, leges etiam custodiantur propter Onie NN. Pontificis pietatem & animos odio habentes mala. Nempè Regis ad exemplum aula, titbs, ditio, & totus componitur orbis. Da, ut Episcopus moriens cum solatio dicere possit hos illos suâ curâ salvatos esse. S. Greg. Thaumaturgus

turgus moriens interrogabat, quos adhuc infideles essent in urbe Cæsarea, cumque tantum septendecim superesse intelligeret, reposuit Deo gratias agens, *totidem erant fideles, cum cepi Episcopatum.* Postquam de Sacerdotibus & Episcopis ea allata sunt, quæ pietatem fovere, salubria documenta ingerere, & mentem in Deum elevare possunt. Non abs re erit in hunc finem, ut eò magis in sancta religione nostra confortemur, aliqua quoque hoc in genere controversa cum Hæreticis percurrere de constitutis à Deo ad regimen Ecclesiæ & Ecclesiastica munia Sacerdotibus, Episcopis, & summo omnium Pastore Pontifice Romano, Et hinc ad hoc servit

### Subsectio quinta.

*1mò.*

#### *De vocatione Ministrorum Ecclesiæ.*

Sicut in republica politica nemini fas est usurpare functiones publicæ potestatis, nisi legitimâ autoritate ad hujusmodi officium ritè deputatus sit: ita nemo usurpare regimen Ecclesiæ & exercere debet functiones Ecclesiasticæ potestatis, ut prædicare verbum Dei, administrare Sacramenta, sacrificare, &c. nisi legitimâ autoritate ad hæc munia vocatus. *Nec enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hebr. 5. & ad Rom. 10.

*Quo.*